

0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

ANTONII  
RICCOBONI  
ORATIONVM

Volumen Secundum

AD ILLVSTRISSIMVM,  
ET R. <sup>mum</sup> DOMINVM

D. ANTONIVM SAVLIVM.

Archiepisc. Genuæ, & S. R. E. Cardinalem ampliss.



Patauii, Apud Laurentium Pasq.  
M. D. L X X X X I.

ANTONII  
RICCOBONI  
ORATIONVM

Volumen Secundum

AD ILLVSTRISSIMVM,  
ET R.<sup>mum</sup> DOMINVM.

D. ANTONIVM SAVLIVM.  
Archiepisc. Genuæ, & S. R. E. Cardinalem ampliss.



Patauii, Apud Laurentium Pasq.  
M. D. L X X X X I.



A D

ILLVSTRISSIMVM.

ET RELIGIOSISSIMVM

S. R. E. CARDINALEM,

A N T O N I V M

S A V L I V M,

*ANTONII RICCOPONI*

P R A E F A T I O .



Llustrissima profecto res est,  
Illustrissime Cardinalis, ui-  
risq; Illustrissimis quàmdi-  
gnissima eloquentia ; meri-  
toq; vir eloquétissimus scri-  
ptum

+ 2 ptum

ptum reliquit M. Tullius , Mandare quem-  
quam litteris cogitationes suas , qui eas illu-  
strare non possit, hominis esse intemperan-  
ter abutentis & ocio, & ipsis litteris. Cum au-  
tem hac tempestate pauci admodum eloquē-  
tes comperiantur , huiuscē paucitatis si caus-  
sa perquiratur , duplex mea quidem senten-  
tia posse afferri videtur; altera, quod dicendi  
ars à circumforaneis clamatoribus, inanibus  
adulatoribus , indisertis senatoribus conte-  
mnatur: altera, quod, cum quidā huius præ-  
cepta facultatis nonnullo persequantur stu-  
dio, quoniam tenuissimis quibusdam quis-  
quilijs, ac tritis, solennibusq; sententiarum,  
& verborū formulis perquam contenti eius  
penetralia non attingunt , ea vti nesciant .  
Atq; hinc fit , ut multi existant rabulæ, non  
immerito à Cicerone modo anseres , modo  
canes nominati : multi ridiculi laudatores :  
multi putidi in consultationibus proclama-  
tores: paucissimi vero qui eloquentis nomi-  
ne digni existimentur. Cumq. illi vehemen-  
ter errant , qui sine vlo dicendi studio se in-  
dicendo posse prorsus excellere, summamq.  
eloquentiæ laudem adipisci arbitrantur: ne  
illorum quidem institutum retinendum est,  
qui , cum toti in leuioribus meditationibus

fint,

fint occupati, propter levitatem suam vel ne-  
cessitatem latere, nullumq. eloquentiæ v-  
sum subire , & commentationem inclusam  
in veritatis lucem minime producere , uel  
insani apparere . Primum enim ad grauiorū  
Rhetorum intimos sensus penetrandum est:  
deinde grauiora huius artis præcepta ad usū  
sunt reuocanda , ad publica certamina , ad  
puluerē, ad clamorē cōparanda, ad actiones  
oratorias, & ipsas orōnes accōmodanda . Nā  
oīs cognitio, meditatio, contéplatio ad actio-  
nem est conferenda. Id quod exemplo appa-  
ret tum præpotentis Dei, qui omnia intelli-  
git, omniaq; gubernat: tum Philosophi, qui  
cum ad Dei imitationem, quantum humana  
fert natura, se effingat, simul studeat cognoscere, & agere: tum Iurisconsultorum, & Me-  
diorum, qui, cum à Philosophia tamquam  
ab uberrimo omnium bonarum artium fon-  
te defluxerint, solent & ipsi suam intelligen-  
tiā, ac studiorū meditationem ad rerum  
vsum accommodare: tum vero etiam, ne lō-  
gius progrediamur, ipsorum Rhetorū, quod  
perspectum , & cognitum sit, ipsos scripto-  
res artis, à dicendi consuetudine alienos, ne  
mediocriter quidem disertos fuisse . Neque  
enim, si illi ipsi Siculi ab inferis excitarētur,

Corax,

Corax, & Tisias, qui huius artis inuentores, ac Principes nominantur, satis docerent, qd sine dicendi usu dignum rebus, quæ agerentur, dignum oratorio nomine, dignum auditorum auribus efficere, atque edere potuerint. Neque Prodicus Chius, Protagoras Abderites, alij multi, qui artis præcepta conscripserunt, cum se in dicendo minime exercent; egregios se fuisse oratores ostendere potuerunt. Evidem, ut hac de re quid sentiam, plane aperiam, plures oratione præstissime arbitror, qui sola dicendi consuetudine nixi artem nec didicerint, nec omnino scire curauerint, quām quis solis præceptis instructi nullum usum habuerint; ut meo quidem iudicio ad laudem oratoriam consequēdam plus experientia sine doctrina, quām sine experientia valeat doctrina. Contendo tamen vtramque coniungendam esse, ut præclarum quiddam, ac singulare existat. An uero putabit quisquam eloquentem se esse posse, ut scelus, fraudemq. nocentis subijciat odio ciuium, supplicioq. constringat, & innocentiam iudiciorum poena liberet: vt languente, labentemq. senatum ad publicum commodum, & dignitatem excitet, atq. ab errore deducat: vt virtutes extollat, uitia deprimat:

ut,

ut, quemcunque uoluerit motum, in animis auditorum vel inflamet, uel mitiget; nisi prius eorum, quæ ex arte percepit, assidue suscepit exercitationem, & non solum, quæ publice agenda sunt, exercitatione quasi ludicra prædidicerit, ac meditatus fuerit, uerum etiam dixerit saepè publice, atq; excellentium oratorum præclaras orationes uel scriptas, uel dictas obseruauerit, callumq. quasi obduxerit frequentas oratorum viam? Est igitur aliquis, qui locos enthymematū, & exemplorum, qui rationem morum, & affectuum, qui præcepta elocutionis, & dispositionis egregie nouit: qui siue versetur in genere deliberatio, habet omnes utilitatis notas, & tractatas propositiones, siue in demonstratio, honestatis, siue in judiciali, aequitatis, & cum propriis generum sedibus cōmunes, & Topicas sedes coniunxit: qui ea, quæ de moribus tradita sunt, siue spectetur in oratore, siue in auditore, siue in elocutione cognouit: qui, quomodo animi auditorum vel permoueantur, & quò libuerit, impellantur, vel permoti, atque impulsi sedentur, ac tranquillentur, percepit: qui omnes sententiārum, & verborum formas, omnia eloquendi genera, scientia, & memoria comprehendit:

dit: qui ordinis, & collocationis notitiam ha-  
bet; & conficiendorū in qualibet causa exor-  
diorum, narrationum, confirmationum, per  
orationum locos tenet: qui vniuersam artem  
Rheticam didicit, & minime contentus li-  
bris Ciceronis, Cornificii, Quintilianī, satis  
multis, & copiosis, opera etiam Aristotelis,  
Hermogenis, Demetrii, aliorum multorum  
peruolutauit: an id satis censemendum est ad  
summam oratoriam laudem adipiscendam?  
Est id, quidem magnum, fateor, præstans,  
admirabile, vtile, necessarium: sed non satis.  
Quid ergo amplius postulatur? Nempe, vt,  
quæ veteres dicendi magistri tradiderunt,  
quomodo ueteres oratores seruauerint, di-  
ficat, & ipse etiam suis orationibus seruare as-  
suefcat, nec minus curet, quæ ex arte dicta  
sint, quam quæ de arte præcepta sint, & ad  
præstantium oratorum imitationem ita se-  
effingat, vt contendere cum eorum laude  
sane pulcherrima posse uideatur. Id fecerunt  
ueteres oratores egregii, Demosthenes, Hy-  
perides, Aeschines. Id Crassus, Antonius,  
Hortēsius, Cicero. Id alii quamplurimi, qui,  
quoniam doctrinam cum usu coniunxerūt,  
admirabiles in dicendo, ac prope diuini exti-  
terunt. Id ego quoque efficere conatus sum

Illus-

Illustrissime Cardinalis, ut diu, multumq.  
uersatus in peruolutandis tum Græcis, tum  
Latinis Rhetorum scriptis, & expendendis  
ueterum orationibus, (quarum præcipue re-  
rum in Gymnasio Patauino explicādarum,  
tamquam veteris eloquentiæ tutori uiginti  
abhinc annos mihi publico decreto delatū  
est munus) atque adeo etiam conscribendis,  
& edendis Commentarijs, quibus ea, quæ ab  
Aristotele, & à Cicerone tradita sunt, quan-  
tum per me fieri posset, clariora redderen-  
tur, conscribendis, & edendis, simul mul-  
tas confecerim orationes. Cuiusmodi labo-  
ribus, vigilijs, & lucubrationibus meis quid  
profecerim, proficiam, & proficere in poste-  
rum queam, aliorum sit iudicium: neque e-  
nim eloquentiæ laudem me assecutum, sed  
tantum fecutum esse profiteor. Cum autem  
orationum mearum secundum volumē edi-  
turus essem, multis de causis, Illustrissime  
Cardinalis, eas tibi inscribere decreui; pri-  
mum ut ipsæ luce tua illustrissima illustrarē-  
tur, & auctoritate illustrissimi nominis tui à  
maleuolorum, & inuidorum hominum uo-  
culis, quasi nubeculis quibusdā, vindicaren-  
tur: deinde vt, quæ ab eloquentiæ studio p-  
fectæ sunt, in eius nomine apparerent, qui

†† in

in eloquentia mirabiliter excellit , semperq; eloquentiæ studiosos benignissime fouit: postremo ut admodum Reuerendi Visitatoris, & Abbatis, fratri mei, Bathabæ Riccoboni, consilio , & voluntati obtemperarem , qui cum primum me hoc uolumen orationum esse editurum intellexit , ipsum sine vlla dubitatione amplitudini tuæ dicari debere mihi persuasit , cum ut magno litterarum patrone, tū vt de se, & hoc modo de me, ac familia nostra optime, & diuinitus merito; nō solum cum ipse, Genuæ, dum conuentus S. Stephani Abbas esset, tibiq. Archiepiscopo illius ciuitatis sapientissimo , & benignissimo nonnunquam honeste seruiret, tuam ad mirabilem, ac prope incredibilem humanitatem expertus est: verum etiam cum tu Romæ, posteaquam excellenti iudicio Sisti V. Pontificis Max.ad Cardinalatum euectus es, dum ipse ibidem Generalem ordinis Oliuetanij Procurationem administraret, ita eum tibi complectendum, exornandum, tuaque auctoritate extollendum putasti , vt clarissimum benignitatis tuæ singularis monumentum prodere posteris, eum fouendo, ac Pontifici commendando, uoluisse uidearis . Ac tu quidem, Cardinalis Illustrissime , omniū studia,

studia, & laudes promereris , non solū quia generis claritate splendeas , Genuæ patriæ splendore clareas, Sauliæ familiæ ornamento eniteas , fortunarum nitore ornatus sis , Archiepiscopatus , & Cardinalatus dignitate illuceas , ad quos dignitatis gradus uiris tantum uirtute , & probitate excellentibus patere aditus solet : sed etiam quia præclarissimis litterarum studijs , & optimis artibus animum tuum excolueris , eamque in obsequiis Reipub. Christianæ muneribus præstantiam ostenderis , ut te tamquam cœlo delapsum omnes merito suspiciant, & admarentur . Verumtamen nihil tibi ad laudem esse illustrius , nihil ad famæ celebritatem , honestius uidetur , quam excellens quedam de omnibus bene merendi voluntas , summa clementia , morum facilitas singularis, omnibus admiranda ab bene faciendum propensiō , magnanimitas , & altitudo animi omnium uocibus , ac litteris celebranda ; quæ quidem facile tibi parat ascensum ad proximum cœlo locum: quam Barnabas , frater meus , tamquam diuinam nunquam definit deprædicare : quam ego ita colere cœpi , ut in maximam spem ueniam , te hoc munus meum , quamuis exi-

guum, benigno animo esse accepturum, cum ipsum, quantulum cunque est, tibi offerre uoluerim, quoniam non solum magna, sed etiam parua summo patrono deberi existimem, & quæ vel natura sua, vel ad dignitatem tuam parua sunt, ea te tamquam magna pro tua bonitate accipere solere intelligam, spectantem magis animum offerentis, quam vel rem oblatam, vel amplitudinem tuam. Accipe igitur has orationes, quas Illustrissimo nomini tuo do, dico, addico, si non ex tenuitate mea, at saltem ex rebus grauisimis, in quibus ipse uersantur; grauitati tuę maxime congruentes: ac perge, ut iampridem facere instituisti, Barnabam fratrem meum tua auctoritate, in quam is, ut in numen aliquod grauissimum, sibi maxime propitium, prope intentis oculis intruetur, fouere, meq. una cum eo in numero addictorum tuorū habere ne graueris. Quod ut facias, amplitudinem tuam clementissimam etiam, atq. etiam rogo. Vale.

Patauij. Mensē Augusto. M.D.XCI.



INDEX



## INDEX ORATIONVM





- I.  D Sebastianum Venerium Venetiarum Principem. 1.
- II. Ad Nicolaum Pontium Venetiarum Principem. 6.
- III. Ad Illustrissimum Cardinalem Iulium Canarium. 11.
- IV. In obitu Ioannis Cephalii. I. C. 17.
- V. In

- V. In obitu Patari Buzacharenii Patauini. 21.  
 Cum Priuilegio Patauinitatis ,  
 quod orationis auctori datum  
 est. 25.
- VI. In obitu Tiberii Deciani. I.C. 28.  
 VII. In obitu Marci Mantuae Benauidii. I. C. 32.  
 VIII. In obitu Bernardini Triuifani  
 Philosophi, ac Medici. 37.  
 IX. In obitu Iosephi Moletii Mathe-  
 matici. 41.  
 X. In obitu Speronis Speronii . 47.  
 XI. In obitu Piï Aeneæ Obicii. 52.  
 XII. In obitu Iacobi Zabarellæ. 58.  
 XIII. De laudibus Di. Thomæ. 65.  
 XIV. De laudibus Di. Hieronymi. 71.  
 XV. De auctoritate coeli ex Platonico-  
 rum doctrina. 76.  
 XVI. Pro studiis Humanitatis. 81.  
 XVII. Cum inciperet explicare Rhetorica-  
 ram Arist. 88.

XVIII.

- XVIII. Cum inciperet explicare Poe-  
 ticam Arist. 94.  
 XIX. Cum inciperet explicare Histo-  
 riæ Flori de rebus gestis Ro-  
 manorum. 99.  
 XX. In obitu Bonifacii Rogerii  
 I. C. 105.





A D  
SEBASTIANVM  
V E N E R I V M  
V E N E T I A R V M

Principem

pro Medicorum, & Philosophorum  
in Patauino Gymnasio Vniuersitate,

*Antonij Riccoboni Oratio.*



V M litteræ, & arma, Serenissime Principe, in Rep. optime instituta eam inter se coniunctionem habeant, ut se inuicem colere videantur; merito nos, qui litteras profitemur,arma principatu dignissima nunc agnoscimus, teq; armorum imperio insignem Principem nostrum consalutamus, ac noīne magnifica Medicorum, & Philosophorum Vniuersitatis in Patauino Gymnasio florescentis tibi principatum gratulamur. Itaq; veteres tradiderunt, Palladem sapientiæ Deam armatam extitisse, & Apollinem Musarum Principem cū Marte belli præside in cœlo coniunctum esse, vt cum hic superiore rem possideat locum, illum tamen agnoscat ducem, & moderatorem luminis sui; ac significarunt eiusmodi esse vinculum sapientiæ cum fortitudine, contemplationis cum actione, con-

A fulta

fulationis cum rerum administratione, ut altera quidem alteri, pro ut fert occasio, præsit, verum nunquam altera sine alterius auxilio extollatur. Quo fit, ut modo arma togis, modo togæ armis cedant; modo sapientes viri imperent, quales optabat Agamemnon, ut facilius Troia potiretur, qualesq; Principes esse oportere, diuinus testatus est Plato, modo fortis dominentur; & ij maxime digni esse imperio, ac principatu uideantur, qui cum fortitudine coniunxisse sapientiam existimetur. Cuiusmodi esse te, Princeps serenissime, cum omnibus notissimum, atq; exploratissimum sit, merito ad tui nominis prædicationem omnis dicendi, & scribendi vis, atq; copia est conuersa, & adhuc à tam multis adhibita, ut nihil fere nobis relictum sit, quod posse sine aliquo audientium fastidio commemorari. Quamquam solent præstantissimi Principis sèpius iteratae laudes populo esse gratissimæ; & verendum nobis nō est, quin attentissimo, & benignissimo animo, etiam de rebus notioribus audiamur apud senatores humanissimos, in quorum sinu perpetuo ipsa humanitas residet, neq; putandum eò minus nos auditum iri, quod ealingua loquamur, quæ nobis ab hoc illustriss. senatu tanquam tutoribus commendata est, vt, si à ceteris deseratur, à nobis sine magna nostra reprehensione deseriri nō possit; quam semper huic ciuitati charam propter amplitudinem suam, & magnis principum legatis in hoc ipso collegio visitatam à sapientissimis senatoribus non libenter audiri minus verisimile est. Vnde igitur incipiems? aut quid potissimum commemoarabimus? Evidem, cum mihi hoc laudationis, & gratulationis munus publico esset decreto delatum, diu, multumq; dubitavi, quid nam agerem, vtrum omnes laudes tuas, quæ plurimæ sunt, mea oratione comprehendere conarer, an eam unam virtutem exornarem, quæ te potissimum extulit ad Principatum; quorum alterum prope infinitum esse animaduertebam, & ab alijs imperfecte tractatum, vt ne minima quidem eius pars satis expressa esse videatur: alterum mutilum quodammodo prima specie, & amplitudine tua inferius comperiebam. Vicit tandem illa ipsa virtus, quæ etiam tetricos christiani nominis hostes deuicit, ut una ageretur, vt unius præstantia celebraretur, ut unius maiestas susciperetur; cum præsertim id esset ei breuitati ac-

commo-

2  
commodatius, quam grauisimæ huius excelsi collegij postulant occupationes. Ac profecto, serenissime Princeps, tanta est amplitudo fortitudinis tuæ, ut, cum maximus sit splendor huius urbis, quæ tua patria est, & plurima sicut decora, ac dignitatis insignia eius familiæ, in qua natus es, ac prope innumerabilia existant animi tui ornamenta; oīa tamen rerū earum, quas in bello gesisti, claritate quodammodo obscureruntur. Cedant ergo Venetiæ, cedant Venetia domus, cedant alia animi tui virtutes fortitudini tuæ, & patriæ, familiæq; laudes cum multis cōes, ad illos cohonestandos, qui proprijs ornamentiis minus abundant, uel etiam ad illorum infantiam adiuuandā, qui nisi agant communia, implere orōnem non possunt, reseruentur; uel, si nunc aliquantis per attingendæ sunt, petantur solum ab amplitudine tua, quæ maiorem sine dubio illis splendorē attulisse, quām ab illis accepisse existimatur. Neque n. illud omittendum uidetur, quod ex te ipso potissimum comprobatur; quod magis Venetias illustrat, quām situs opportunitas, coeli clementia, terræ halitus, maris afflatus, ædificiorum magnificētia, aliaq; eiusmodi ab aliis usque ad satietatem, ac fastidium decantata; quod unum, si desint cetera, potest sufficere ad Venetorum gloriam perpetuo celebrandam; quod ore uulgi his temporibus contritum est, & tamē à multis, magnisq; oratorib; nescio qua ratione oīrissum; quæ una causa est, cur diuturnitate imperij hæc Resp. possit meritisimo gloriari. Cur igitur Veneti multa imperij sui secula numerat? Cur hæc Resp. ad imperium, ad decus, ad æternitatem esse nata uidetur? Quæritis caussam? Iam illæ in promptu est. Iam Sebastiano Venerio ad principatum elato constat, quām digna imperio hæc Resp. sit. Etenim luce clariss factum est, hic uirtutem extolli, hic præstanti homines animo honorari, hic optime de Rep. meritis uiris supremos dignitatis gradus concedi, hic præclaros uiros summis præmijs affici, hic neminem ob uirtutem in inuidiam uocari, hic ne minimis quidem beneficijs sua præmia denegari. Est ne aliquis, qui de hoc dubiter? omnis ei dubitatio eximetur, si ipse cogitauerit; Sebastianum Venerium ad principatum euectum esse, non propter generis nobilitatem, nam & alij erant nobilissimi; non propter diuitias, nam cum alij in bello diuites fiant, ipse im-

A 2 tatus

tatus Fabricium,& Curium, maxima non solum fortitudinis,  
sed etiam abstinentiae exempla, ex bello pauper reuersus est:  
sed propter unam uirtutem, nempe eam, quæ sanguinem pro  
patria profundit, quæ non in uiola, aut in rosa, non in um-  
bra, atq; in ocio, non in mollibus, planisq; itineribus, sed in ar-  
morum fulgore, & militum clamore, in caloribus, & frigori-  
bus, in arduis, salebris, atque asperis uis uersatur; ac eo mo-  
do uectum esse, quo nemo unquam alias, cum primum pe-  
tit, cunctis suffragijs, ac prope dixerim uiua uoce. Et quis  
quam inuenietur, qui, cum intelligat ex uno, & quadraginta  
uiris selectis ad Principem eligendum, de Sebastiano Venerio  
neminem dissensisse, cunctisq; suffragiis Venerium Principem  
declaratum esse, & eos ipsos, qui certi competitores ui-  
deantur, uni Venerio cesisse, existimet in hac ciuitate, cum  
res grauiissimæ aguntur, legationes, summa imperia, principa-  
tus, ualere quidquam inuidiam, ambitum, prensationem, lar-  
gitionem, aliaque eiusmodi, quæ Resp. prorsus labefactare,  
atque euertere consueuerunt? O rem admirandam, atque om-  
nium uocibus, ac litteris praedicandam. O sanctissimum &  
pulcherrimum institutum uirtutis conseruandæ, atque augen-  
dæ. Athenienses quodam eos, qui excellere in Rep. uideban-  
tur, ut memoriarum reliquit philosophus omnium grauiissimus  
Aristoteles, non ad improbitatem castigandam, sed ad poten-  
tiæ moderandam, pellere in exilium per decem annos soliti  
sunt, eo genere relegationis, quem Ostracismum appellant.  
sic pepulerunt Themistoclem, illum, qui ad Artemisium, &  
Salaminem Xerxis Persarum Regis classem superauerat; qui  
ut muri urbis bello Persico euersi aduersantibus Lacedæmo-  
niis reficerentur, auctor fuerat; qui Piroeii portum absolu-  
rat. sic eiecerunt Aristidem, Demosthenem, & alios multos  
quorum plurima in Remp. extabant, maximaq; beneficia.  
Romani uero ne Camillis quidem, nec Scipionibus nec Ci-  
ceronibus, nec alijs non paucis, quorum summi erant usi be-  
neficijs, pepercérunt, eò tandem post tot, tamq; insignes res-  
gestas redactis, ut eis in exilium fuerit abeundum. Ne longi  
progre diamur, ceteræ omnes Resp. illos, qui plura, & maiora  
in ipsis contulerant beneficia, maiori acerbitatibus genere diue-  
xarunt. & fabulæ etiam loquuntur Argonautas Hercule Argos

naui ex-

naui exclusisse, longo interuallo ceteros vectores gubernan-  
di scientia superantem. At uos, excellentissimi Patres, tantū  
abest, ut optime de Rep. meritos patricios ejiciatis, vt eis etiā  
principatum deferatis. Quod præclarum institutum quam-  
diu obseruabitis, tandem imperium à ciuili discordia tutum  
habebitis, tamdiu domi optatissimæ pacis fructus percipi-  
tis uberrimos, tamdiu optimo Reip. genere perfruemini, idest,  
vt facile licet coniçere, in perpetuum dominabimini: ea enim  
est sapientia uestra, ut dubitari nullo modo debeat, uos eius-  
modi institutum vlo esse unquam tempore deserturos. Cum  
ergo auditum est, Sebastianum Venerium, uirtutis suæ admi-  
ratione tanto omnium consensu, atq; applausu Principem fa-  
ctum esse, statim Venetorum fama clerior facta est, & eorum  
egregia remunerandi voluntas celebrata, atq; gratissimus ani-  
mus illustratus, ut incertum sit, ex eiusmodi electione maio-  
rem ne splendorem, qui elegerint, an qui electus sit, accepisse  
uideatur. Quemadmodum autem Princeps Serenissime, non  
parum hanc vrbe tua singulari præstantia, ac admirabili uir-  
tute illustrasti: sic in Veneriam gentem faciem gloriae claris-  
simam intulisti. Ac propria quidem Veneriæ familie laus sem-  
per fuit, quod in ea sapientissimi uiri floruerunt, ut Antonius,  
& Franciscus, qui summa sapientia, & integritate Principatū  
administrarunt; nt inter alios multos præter Franciscum alij  
duo, qui in legatione ad Paullum iij. Pontificem Max. sibi in-  
uicem cum maximo splendore successerunt, ad quam digni-  
tatem non nisi hominibus singulari sapientia præfulgentibus  
patere aditus solet, in qua illi non secus ac Apollinis oracu-  
lo Socrates, ipsius summi Pontificis uoce sapientissimi sunt  
declarati; ut hoc tempore Franciscus, & Dominicus fratres,  
alter philosophiæ, alter etiam poeticæ facultatis maximum lu-  
men, qui eam de se opinionem multos abhinc annos conci-  
tarunt, ut quemadmodum quondam habitus est sapiens in  
Aethiopia Cepheus, in Assyria Prometheus, in Mauritania A-  
tlas, in Græcia heroicis temporibus Vlysses, ac Nestor, tem-  
pore Homeri Lycurgus, sequentibus temporibus septem, in  
Italia apud Romanos tres: sic apud Venetos ipsis inter sapien-  
tiores enumerentur. proprium inquam Veneriorum decus  
semper fuit sapientia: sed tu, Serenissime Princeps, nouum  
orna-

ornamentum adiunxisti , eius scilicet virtutis,qua nulla meo iudicio splendidior inuenitur. Etenim , vt eam breuiter cum alijs virtutibꝫ conferamus, qui in sapientia studia incumbunt , faciliorem quidem,& tutiorem, ac minus alijs grauem , aut molestam uitam sequuntur : qui vero in fortitudinis opera , fructuosiorem hominum generi,& ad claritatem, amplitudinemq; aptiorem. hi enim non uerba, sed facta profitentur; non in solitudine se abdunt ad suum solatium, atq; voluptatem, sed in hominum luce sudant, algent , esuriunt pro com muni utilitate,ac dignitate, periculis obuiam eunt,conserunt cum hostibus manus, fugant eorum exercitus, trucidat mil itum cateruas, hostilia agmina coticulant . Neque uero mi nus necessaria est fortitudo,quam prudentia. Nam quemad modum corpus humanum oportet esse non solum sanum , & pulchrum,verum etiam oculis,& manibus egregie instru etum: sic Reipub. corpus iudicet non solum temperantia, & iustitia eorum, à quibus administratur, quæ virtutes sunt sa nitas , & pulchritudo ipsius Reipub. verum etiam pruden tia, & fortitudine, quarum virtutum altera oculorum , alte ra manuum officio fungitur. At non modo uir temperans, & iustus, sed ne prudens quidem ualere quidquam potest in Repub. gubernanda, nisi adsint viri magnanimi, viri fortes, viri animosi, qui utrumq; tempus tum pacis, tum belli tutissimum reddant,vt ex eo appareat necesitas fortitudinis,quod sine ea virtutes aliae egregiam in Repub. operam nauare nō possint . Quemadmodum autem temperantia efficit,ne homines ex natura humana in ferina præcipitentur ; sic for titudinis opus est , ut iudem homines ex conditione humana ad diuinam extollantur ; quod euenisce Herculi , & Romulo , & Cæsari , & alijs multis memorie proditum est. Nec minus splendet in bello fortitudo , quam in pace iustitia , etiam si hæc dicta sit ipso hespero , ac lucifero admirabilior . Quamobrem egregie potuisti non solum patriam tuam , verum etiam familiam fortitudinis lumine collustrare . Tu enim ille es , qui in proximo superiore contra Turcas bello , statim ut Hieronymo Zanio Vene ta classis imperator summus successisti , uictoriæ spem cer tissimam propter illustrem præstantiæ tuæ famam omni bus

bus Christianis populis attulisti, qui nunquam pugnam re formidasti, sed ad præliandum paratisimus semper extitisti, qui coniuncta Veneta classe cum Pontificis Maximi,& Regis Catholici classibus inter imperatores socios dignitatem pa triæ tuæ animose , & fortiter conseruasti ; qui, cum audisse Turcarum classem in Naupacteum sinum pugnandi caussa progressam esse , statuto inter alios imperatores certamine, quod tu semper, ut tam multas hostium iniurias ulciscereris concupisti, Trierarchos tibi subiectos ad fortiter pugnandū cohortatus,uniuersam Venetam classem ad referendam uictori aiam comparasti;qui denique insultantes hostes uehemetius, & uolitantes insolētius inter Christianorum militum classes, mirabiliter compressisti, uicisti, trucidasti . Itaq; tua potissimum gloria est quadraginta Turcarum millia partim casata, partim capta esse . Tibi potissimum se debere libertatem uiginti Christianorum millia confessa sunt. Tibi in primis accepta refertur centum,& sexaginta triremium,multarum bi remium,aliorumq; nauigiorum occupatio , tibi quarundam triremium fractio,atq; incensio,quarundam fuga,tibi breuiter pulcherrima omnium,quas unquam in mari homines uiderint,uictoria. Ad tuos pedes prostratus stetit Syrochus im manissimus Archipirata . Ante tuos oculos trucidatus iacuit teterrimus omnium Christiani nominis hostis Caracosius. Tuis armis Alys Imperator cum multis Trierarchis misere mortuus est.O maximam uictoriam, omnium seculorum memoria conseruandam; de qua non est , quod plura dicamus, cum ea fuerit plurimorum uocibus , ac litteris celebrata , & una cum ea tu omnium maxime illustratus,illis etiam,qui in bello unquam pro Rep. perierunt, fortitudinis gloria præferendus. Nam fortis quidem fuit Leonides Lacedæmonius, qui ad Thermopilas pugnans occubuit ; fortis Epaminondas Thebanus,qui apud Mantineam in lætitia,& in uictoria uitam amisit; fortis L.Brutus, qui reditu arcens à se expulsum tyrannum in prælio concidit; fortes tres Decii, pater,filius, & nepos, quorum alter cum Latinis decertans , alter cum Etruscis,tertius cum Pyrrho se hostium telis obiecit; fortes Scipiones Paullus,Marcellus,Albinus,Gracchus , quos Hispania, Cannæ,Venusia,Latini, Lucani pro patria cadentes uiderunt; fortes

fortes alij multi excellenti animo viri, qui gloriae stimulis inspirati mortem animose oppetuerunt : sed tu sine dubio fortior, qui non modo hostium armis fortissime te opposuisti, non modo uictoriam reportasti: uerum etiam cum mortem nūquam timueris, eius omnia pericula superasti, ad alia Reip. comoda te reseruasti , ad principatus administrationem te incolumem conseruasti . Itaque laudabile quidem est fortiter mori: sed laudabilius fortiter uiuere. Ad famam illustre est uincere etiam cum sanguinis, & animæ effusione: sed illistror uictoria cum uitæ conseruatione. præclarum est uitam uiuere diuturnam, quæ gloriae posse sufficere: sed præclarus satis diu uiuere patriæ. Quod si statuæ Imperatoribus in bello mortuis publice collocantur, quibus honoribus sunt prosequendi illi, qui non solum uincere, uerum etiam post uictoriæ uiuere ad patriæ utilitatem potuerunt? Tantæ igitur uictoriae celebritate cum in hominum mentibus statim Venetiarum Princeps designatus esset; neq; quisquam reperiatur non modo in hac urbe, sed ne in orbe quidem terrarum, qui, cum data esset occasio principis eligendi, te certissimum principem non haberet, & factus esses quodammodo Princeps, priusquam is, cui successurus eras, ex hac uita migraret, post obitum uero eius prius quam eligereris; neq; solum Venetiæ tibi à Deo opt. max. principatum precarentur, uerum etiam omnes ciuitates Veneto imperio subiectæ, immo uero omnes gentes, & nationes, quod rerum tuarum gestarum fama peruaserat; hoc commune omnium desiderium, hanc communem omnium desiderium, hanc communem animorum in te propensionem, hæc communia uota, communesq; preces, quæ siebant, ut ad principatum euehereris, præpotens Deus exitu comprobauit. si quidem, cum primum Aloysius Mocenicus, princeps præstantissimus, diem suum objicit; cum primum senatores selecti sunt ad principem eligendum; cum primum illi in senatum conuenerunt, nulla mora interposita, quod de nullo unquam alio auditum est, te summo consensu elegerunt; qua præstanti electione nihil tibi ad famam illustrius, nihil ad gloriam honestius poterat euenire. Quare tibi isto tuo tam excellenti bono gaudendum est; & fruendum cum isto principatu, eu etiam omnium in te beneuelentia,

5  
tia, atq; obseruantia; nos vero, qui cum fortunam, & gloriam tuam, tum præstantiam, & fortitudinem admiramus, ac magnificæ philosophorum, & medicorum Vniuers. nomine tibi supremam istam dignitatem gratulamur, tua lenitate, ac mansuetudine complectendi; præclaræq; litterarum studia propter Reip. decus, & commodum fouenda, ac protegenda. Nam maximum splendorem afferunt, & plurimum profundunt litterarum exercitationes non solum priuatim, sed et publice, non solum togatis, sed et armatis hominibus, non solum domi, sed et foris, non solum in pace, sed et in bello, dum exprimunt immortalē gloriam propositam ijs, qui ne mortem quidem fugiunt, ut patriæ prosint; dum charitatem patriæ ostendunt oībus rebus anteponendam; dum proponunt exemplum fortissimorum virorum, qui sanguinem pro patria profuderūt. Quamobrem tibi tuenda sunt studia nostra, ne armorum quidem exercitationi inutilia; ac illud gymn. amandum, quod cum sit omnium artium, quæ in precio sunt, clarissimum domicilium, oīs Venetæ Reip. partes maxime illustrat, & quantum reliquis fere oībus gymn. doctorum ex omni terrarum parte accitorum præstantia, & auditorum ex oībus regionibus perpetuo, assidueq; in ipsum concurrentium frequentia antecedit, tantum Venetum nomen exornat. præterquam quod utilissimum est cum oībus gentibus, ac nationibus, quæ in urbem Patauium tanquam in celeberrimum omnium doctrinarum mercatum, & clarissimum totius terrarum orbis theatrum confluent, tū vero omnibus Veneti imperij populis, & in primis Venetæ ciuitati, quæ ciuilis initia, ac fundamenta prudentiæ ex optimarum disciplinarum cognitione, ac scientia in eo haurit, & præclararum iuuentutem suam, priusquam ad tractādam, & administrandam Remp. admittat, ingenuis facultatibus ibidem excolendam tradit. sic ex hac ciuitate maximi oratores, præstantissimi legati, optimi senatores solent existere. sic in ipsa floruerunt semper summi philosophi, egregij poetæ, illustres historici, aliarumq; omnium liberalium artium doctissimi viri. sic Contareni, sic Barbari, sic Bembi, sic Donati, sic alij heroes nomina sua ad omnem posteritatis memoriam consecrarent. sic facient quotidie magis patricij Veneti, si præclarar litterarum studia fouebuntur; quibus etiam tu ita deditus fuisti, ut

sti, ut eorum auxilio inter egregios huius ciuitatis oratores resulseris, quæq; semper attulerunt nobiliss. familiae tuae maximum decus, & ornamentum; ut sapientiae studia omni benevolentia is complexurus esse videatur, qui litterarum tractatione delectatus sit, quiq; ex ea familia originem traxerit, quæ sapientiae, tanquam rei sua perpetuum habuit patrocinium. Quam charum huic Reip. illud gymnasii, sit, præter plurima, & maxima studiosorum iuuenium commoda, ac tot, tantorumq; doctorum amplissima præmia, illud certissimum, ac firmissimum habemus argumentum, quod maiora huius ciuitatis lumina illi præfici solita sunt; vt hoc tempore illius moderatio ni præsunt illustrissimi viri, Iacobus Foscarenus, Franciscus Venerius, Paullus Theopolus, qui ita litteratos omnes complectuntur, vt clarissimum beneficentiae sua monumentum prodere posteris, eos fouendo, atq; adiuuando statuisse uideantur. Speramus te hanc publicam in nostra studia benevolentiam perpetuo conseruaturum; & nobis pro tua singulari benignitate, atq; humanitate maximopere fauturum. Quod ut facias, amplitudinem tuam obsecramus; tibiq; tanquam summo litterarum patrono, magnificum Rectorem nostrum, magnificam vniuersitatem, doctores, ac ingenuorum artium studiosos omnes, nostraq; iura, vt integra, incorrupta, atq; inviolata seruentur, denique vniuersum gymnasium Patauinum, quod profitetur amplissimas laudes tuas se perpetuo prædicaturum, commendamus; & nomine omnium qui adsunt, tum qui Patauij sunt, quorum vniuersitatem magnificus Rector noster repræsentat, omnem obediem amplitudini tuae pollicemur.

Habita Mensa Octobri. M. D. LXXVII.



A D



# AD NICOLAVM PONTIVM VENETIARVM Principem

Pro Patauini Gymnasij Doctoribus,  
*Antonij Riccoboni Oratio.*



RAETER consuetudinem accidit, Se renissime Princeps, vt Doctores omnes Gymnasij Patauini, quorum inuisitatem frequentiam hic astantem vides, Principi suo præstantissimo Principi dignitatem voluerint gratulari: propterea quod tot, tantaque virtutes, quæ tibi principatum confecerunt, tot, tantaque in se merita, ac tantum splendorem taciti præterire non potuerunt. Itaque, vt primum per publicum docendi munus licuit, cuncti in conspectum tuum venire properarunt, ut te optime de litteris meritum, ac communem litteratorum omnium patronum in hoc supremo solio sedentem consularent, seq; ac sua studia, quibus semper pro singulari tua benignitate mirabiliter fauisti, commendarent. Quoniam autem non poterant oes sine aurium tuarum molestia propensione animorum suorum in amplitudinem tuam uerbis declarare,

B 2 & in-

& intelligebant esse aliquem deligendū , qui vtriusq; partis tū  
Iurisconsultorum,tum Medicorum, ac Philosophorum perso-  
nam gerere posse videretur , vinculum omnium artium Hu-  
manitatem adhibendam duxerunt,meq; iurisconsultum quam  
uis minimum, & Humanas litteras in illo gymnasio profiten-  
tem,quæ vtriq; studio aditum patefaciunt, & vtrumq; exor-  
nant,hoc gratulationis,& commendationis munus obire mei  
studiosissimi uoluerunt; cui necesse fuit quodammodo,& qđ  
patroni mei uoluerunt,& quđ præcipue id à me præstari de-  
bere intelligebam. Nam, vt taceam, quām honestum sit tōt,  
tantorumq; virorum auctoritatē repræsentare, qui littera-  
rum splendore vniuersum terrarum orbem colluстрant, cum  
tua potissimum opera, Serenissime Princeps, in huic clarissi-  
mum numerum, in hanc doctorum lucem, in oculos omni-  
um gentium, & nationum productus fuerim,& ex hoc fo-  
te ad non nullam hominū famam profluxerim;ecquæ caus-  
sa est,cur arripere omnem occasionem non debeam tui am-  
plissimi nominis celebrandi? Quamquam non profiteor me  
uerbis soluturum,quod re ipsa debedo:sed quæ explere merita  
re non possum , grata animi benevolentia assequor ; &  
quantum dicendo valeo , tantum ad tuorum beneficiorum  
prædicationem perpetuam cum his præstantissimis Patri-  
bus libentissime conseruo , nihilq; in te magis admirandum  
existimo,quam excellentem de patria tua,atq; adeo de uniuer-  
so hominū genere benemerendi facultatem , eamq; potissi-  
mum beneficentiam, quæ ab eloquentiæ præstantia profici-  
scitur. Nam, ut alias laudes tuas alijs enumerandas relinquam-  
us,& hanc unam oratione nostra cōprehendamus, ab una  
benefaciēdi uirtute originem habuerunt tot honores,tot di-  
gnitates,tot magistratus,quos tanta tua cum laude,ac tam in-  
credibili omnium cum admiratione gesisti. Illud enim,huius  
Reip. præcipuum decus,atq; ornamentum existit,quđ ipsa  
suos de se benemeritos patricios ad altiores dignitatis gra-  
duis extollere consuevit.Id quod. si probare uellem, replicata  
memoria temporum,& repetitis usq; à principio urbis ex-  
emplis, hodie dicendi finem non facerem. sed profecto ita est, ut  
dicam . nulla maiora huius omnium præclarissimi instituti  
data sunt documenta, quam superiori proximo post insigne  
illam

7

illam contra Turcas uictoriā tempore. Nam illi ipsi, qui à  
patria,pro honestate,pro Christiana religione fortissime pu-  
gnauerant,statim ut ab illo bello reuersi sunt,quod tuo potis  
simū consilio,Serenissime Princeps, gestum est,dignissima  
suis meritis præmia inuenierunt, & ad magnos honores faci-  
lem aditum habuerunt;ut alij procuratores Marci facti sint,  
alij consiliarij declarati,alij in x.uirum numerum recepti,alij  
alijs magistratibus etiam supra ætatem exornati. Quid com-  
memorem summam omnium confessionem in Sebastiano  
Venerio illo , cuius fortitudinem nunquam satis aut laudatā  
esse,aut laudari posse existimo,Principe declarando ? ecquæ  
fuit causa,cur ad Principatū tam facile eueheretur,nisi quđ  
cum ille Miltiadē,Cimonem,Themistoclem,rerum gestarū  
magnitudine superasset, illius uirtuti debitum præmium hæc  
gratissima Resp.non esse denegandum putauit ? O tutissimā  
uiam conseruandi,atq; amplificandi imperij , ut, quđ quisq;  
præstantior est,eō magis honoretur, & præstantioribus uiris  
etiam necessitas quædam imponatur muneris publici obeun-  
di,ac uirtus nullo modo deprimatur, omnibus modis extol-  
latur. Hæc uera cauſa est,quamobrem hæc Resp. tam diutur  
no imperio perfruatur . Hæc illa cauſa est,cur eius semper  
fuerit idem tenor, semper idem cursus,cur in ea semper florū  
erit libertas,nunquam in ea factiosi homines locum habue-  
rint . Quod de alijs Reb. p. quamuis magnis affirmari non  
potest. Etenim,ut alias mittamus, & , quæ maxime celebra-  
ntur,eas breuissime cōferamus,Atheniensis,& Romana Resp.  
multas, easdemq; graues mutationes habuerunt;cum illa qui  
dem modo Monarchiæ formam habuerit, modo Democra-  
tiæ, & paruerit modo Quadrangentis, modo Triginta uiris,  
modo paucis quibusdam fautoribus Antipatri , modo alijs  
paucis,qui cum Cassandro fecerant pactionem: hæc uero pri-  
mum experta sit Regium imperium,deinde paucorum patri-  
ciorum uoluntati commissa, inde etiam plebi communicata,  
præterea Tribunorum pl. seditionibus perturbata:tum Syllæ  
crudelitate , Pisonis, & Catilinæ coniurationibus, Cæsaris,  
Crasii,Pompeij coniuratione,eiudem Cæsaris iniustitia labi  
factata,deum Triumviratu, & Cæsarum imperio oppressa.  
At Veneta Resp.uniusmodi semper,& sui similis illarum præ-  
stantio.

stantiorem statum repræsentauit; nèq; alia de causa, vt dicebam, tam multa imperij sui sæcula adhuc numerauit, nisi quod in ea virtus regnat, præstantia decoratur, benemeriti de ea homines maximis præmijs afficiuntur. O sanctissimam Remp. ex qua eiusmodi viri solent existere, qui cum Aristide, cum ipso Nicia, cum Pericle, cum Curijs, Fabricijs, Coruncanijs, cum Scipionibus, Paullis, Lepidis comparari merito possunt; cuius patricij eum semper splendorem habere visi sunt, vt ad veram nobilitatem demonstrandam illa vox posse sufficere, Patricius Venetus est; quam nobilitatem etiam varij Duces, & Principes expetierunt, etiam Reges charissimam habuerunt, nec quisquam est, qui maximum afferre decus, & ornamentum non fateatur. Cum igitur in hac Rep. virtus semper fulserit, & superiori proximo tempore animi magnitudo principem locum obtinuerit, fortitudini doctrina, & prudentia eloquens, vel docta, & prudens eloquentia meritissimo succedit. Itaque ad Principatum electus es, Serenissime Princeps, propter præstantiam animi, atque ingenij tui singularem Egregie. Nam, si Mitilenæi Sapphonem, quamuis mulierem, si Lacedæmonij, alioquin parum studiosi litterarum, Chilonem honore affecerunt propter præstancem quandam optimarum artium cognitionem; quanto ipse magis eras honorandus, vir eloquentissimus, & doctor prudenterissimus, apud eos, qui præclara litterarum studia magni semper fecerunt? si Parij Archilochum, Chij Homerum, Itali omnes Pythagoram, Lampsaceni Anaxagoram, quamuis homines peregrinos varijs honoribus decorarunt; quanto ipse magis à Venetis Venetus decorandus? si viri præstanti ingenio, & alta quadam mente prædicti maximopere exornari consueuerunt, etiam ij, quibus nulla occasio oblata est de Rep. benemerendi; quanto ipse magis exornandus, qui tua excellenti præstantia immortalia in Remp. beneficia contulisti? Cum autem varijs rebus opem ferre patriæ suæ homines possint; quæri merito solet, quæ nam utilior esse videatur; & cum alij alter sentiant, ac alij diuinitias, alij fortitudinem, alij alia iudicio suo præferant, discere nos Sereniss. Principis exemplo possumus, Patres Illustriss., nihil esse ad Reip. commodum, dignitatemq; tuendam, atq; augendam aptius, nihil ad publicam utilitatem, &

tem, & decus accommodatius, nihil ad extollendos homines opportunius eloquentia. Ecquæ enim beneficia ab eius admirabili, ac prope diuina eloquentia non emanarunt? ecquos ipse honores eloquentia admiratione non est consequutus? Iam cum dicimus eloquentiam, non leuem, & ineruditam loquacitatem intelligimus, non imprudentem cantilenam, sed quæ ex doctissimorum hominum scriptis, ex Dialecticorum, ac Philosophorum spatijs, ex sapientia penetralibus prodire existimatur, quæq; nunquam à prudentia separatur. Id quod, cum tu optime cognosceres, Serenissime Princeps, priusquam eloquentia munus obire inciperes, omni disciplinarum gene re in clarissimo Gymnasio Patauino eruditu uoluisti; ubi dici non potest, quam mirabiles progressiones & cursus feceris ad omnem excellentiam; ut facillimum tibi fuerit, tum in hac urbe in Diui Paulli templo illa duo Theorematum publice disceptare, quæ tam multa continent Theorematum millia, Quidquid Aristo. scripsit recte scripsit, Quidquid Auerroes disputauit, recte disputauit; tum Patauij doctoris insignia consequi, & in illud Philosophorum collegium recipi, quod dignitate ceteris fere omnibus antecedit; tum Venetijs rursus in generalibus Fratrum Eremitarum comitijs, quibus Illustrissimus præterat Cardinalis Egidius, cum tres de doctrina disceptationes habenda essent pro tribus prouincijs, Gallia, Germania, Italia, honorem Italij tuæ præstantiæ commissum mirabiliter tutari; tum demum docendi publice philosophiam munus ab Illustriss. Senatu obtainere. quod cum præclare obires, ita ut prope incredibiles fierent ad te audiendum studiosorum iuuenum concursus, & te omnes admirarentur, ac tamquam de cœlo delapsum intuerentur; cumq; miram in loquendo prudentiam præ te ferres, multo etiam ante cognitam, & perspectam, quo tempore illi ipsi, quem modo nominauimus, Illustriss. Cardinali cum alijs clarissimis viris nomine publico obuiam processisti, illiusq; laudes in templo sancti Spiritus sancto Spiritu afflatus diuinitus celebrasti; ad alia honestissima eloquentia munera cum maxima tua laude adhibitus es, tibiq; publice mandatum, ut Caroli V. Imperatoris legatum præclarissimum, Hieronymum Adornum, qui ad Illustrissimum Senatum in Gallos excitandum

dum venerat, diemq; suum Venetijs obierat, in funere laudares. qua in re dubitatum est, quid nam magis fuerit laudatum, Adorni ne præstantia tua oratione, an tua in eo laudando eloquentia omnium, qui te audiuerunt, uocibus atq; acclamacione. O factum egregium omnibus imitandum, qui in Rep. cupiunt ceteris anteferri, ut eloquentia cum doctrina, & consilio coniungatur, vtque per solidam eloquentiam sapientiae, & prudentiae fundamentis nixam ad summos honores aditus paretur. Hic tam latus mihi se offert campus laudum tuarum, vt nisi modum testeam, hodie dicendi finem facturus non sim, in quibus celebrandis tua ipsius eloquentia opus esset, ut mirabiles eloquentiae tuæ effectus explicarentur. Quòd si complecti pro dignitate omnes tuas unius generis laudes ne optare quidem, nedum sperare, audeo, ne dum possum; Dii immortales, quid me miserius, aut afflictius, aut laboriosius esset, si non unum eloquentiae argumentum attingendum, sed cunctas actiones tuas mihi pertractandas proposuissim? si comprehendere oratione uelle, quanta cum utilitate huius ciuitatis ab anno Christi millesimo quingentesimo decimo tertio, quo Sapiens ordinum in hoc excellentissimum collegium cooptatus es, usque ad hæc tempora in Rep. uersatus sis? quanta cum laude, lumine animi, atque ingenii tui id præstiteris, quod fieri non posse, aut certe difficulter posse existimatur, ut maximas diuinitias simul, & maximos honores comparaueris? quanta integritate, & æquitate amplissimum quenq; in Rep. magistratum tum in urbe, tum extra urbem administraueris? quanta assiduitate, & charitate miserrimis, & calamitosissimis pestilentiae temporibus patriæ tuæ, quam plurimis abeuntibus, præsto fueris? Alij igitur laudibus, & encomijs persequantur, si possint, singulas uirtutes, singulos magistratus, singulas tuas res gestas, singula tua sapienter, & prudenter dicta, & facta: nos sat habebimus commemorare, Patres illustrissimi, in eo maxime flourisse illam dicendi facultatem, qua sapientissimus scripsit Homerus, magnos illos Reges, &c, ut ipse ait, Iouis satu genitos sibi populos obedientes reddidisse, magis etiam, quam imperio, quo plurimum ualebant, ita ut nemo sapius, quam ipse in uero illustrissimo senatu sententiam dixerit,

nemo

<sup>9</sup> nemo rarius, quam ipse, de nobilissimæ gradu uictoriæ de pulsus sit, nemo frequentius aut alienas à Reip. comodis, & dignitate sententias refellerit, aut utilia simul, & decora per suaserit. Qua cauſa fuit in primis, cur ei facile mandatae sint legationes quamgrauissimæ, quae cum singularem industriam, diligentiam, fidem, animi magnitudinem, grauitatem, tum maximam postulant eloquentiam, & non nisi eloquentissimis uiris committi solent. Age enim, mitterendus fuit ordinarius Legatus, qui Marino Iustiniano vita functo succederet, ad Carolum V. Imperatorem omnium præstantissimum, cum is Julianam Cæsaream oppugnaret: hic sicut ante ex principali patriæ suae aduocatione nondum confecto legitimo spatio Vtinum, sic tunc Vtino ad Imperatorem propter præstantiam suam ad maiora semper properantem missus est; & quidem cum magno Vtinensium dolore, quibus iam ipse in medio foro erigendum pulcherrimum fontem curauerat, & aqueductus, ac tubulos per quinque passuum millia extrudos mandauerat, quæ aquæ in fontem perpetuo cursu influerent; opus sane egregium, & priscam redolens virtutem Romanam. Repræsentanda fuit totius Reip. maiestas ordinario legati munere apud Paullum iij. Pontificem Max.eum, cuius tanta sapientia, & prudentia fuit, quanta uix comprehendi in homine potest: per hunc ita repræsentata est, ut nihil in ipso desideratum sit, quod ad tractandam huius Reip. causam, & ad exequenda illustrissimi senatus mandata pertineret; qu. functus legatione, Matthæo Dandulo suffecto, equestre dignitate decoratus est nouo exemplo, cum ante ipsum nulli legato Veneto is honor à Pontificibus Rom. delatus sit. Gratulandum fuit Julio iij. quod esset ad proximum cœlo in terris locum elatus: hic eam gratulationem ita habuit, vt maximam sit laudem consecutus; atque ita vniuersæ Italiz, totiusq; Christianæ Reip. statum deplorauit, vt, non, quemadmodum C. Sulpitius puerum pene in humeros suos efferēs, aut M. Antonius cicatrices miseri hominis ostendens, aut M. Tullius puerum infantem in manibus tenens, qui plangore, & lamentatione omnia compleret, sed unius eloquentiae viribus lachrymas in Pontificis maximi oculis excitarit. Succendendum fuit Matthæo Dandulo Legato ordinario apud eum

C dem

Fatione huiusmodi facti Dei in terris Vicario, vna cum Illustrissimo ordinario Legato, eo, qui talem in re tanta operam nauauit, qualem maxime oportebat, ita perturbatum Pontificis animum tranquillasti, vt totus ipse in benevolentiam uer sus, & amoris facibus incensus apparuerit, ac eiusmodi signa dederit reconciliatae gratiae, in quibus totus terrarum orbis conquieuit. cognoverunt enim omnes nec potuisse, nec debuisse aliter fieri, ac factum est, ad hanc urbem, atq; adeo uniuersam Xpiam Remp. conseruandam. O eloquentia vere, ut poeta nobilis appellauit, flexanima, atq; omniu regina, quid non efficis, cum in animis generosis firmiter insedisti. De te quidem uere clarissimus poeta scripsit Euripides, nihil esse, quod ferro, quin idem ui tua effici possit: sed uerius nostro quidem iudicio dixisset, multa per te fieri, quae ne ferro quidem fieri possunt. Ferrum enim corporibus uim adhibet, animis non adhibet: tu uero uel in animis dominaris. Quod etiam notissimum, atq; exploratisimum amplitudo tua fecit, Serenissime Princeps, non solum cum Corcyrae praefuisti, & rei frumentariae persuasione tua de nonnulla uectigalium parte in illam conuertenda optime consuluisti, uerum etiam cum Patauij præturam administrasti; ubi præter alia multa in illam urbem merita, quorum memoriam Patauini omnes benevolentia colunt sempiterna, præter ædificatum prætorium, aliaque industriae, ac diligentiae tuæ opera egregia, tu unus persuadere patricijs Patauinis potuisti, ut mons charitatis erigeretur; tu unus uno die in solemnis supplicationibus ea de causa habitis, cum in platea sederes, populumque prætereuntem ad commune bonum adhortareris, blande, & comiter singulos appellando, ad conferenda in montem illum octo aureorum millia, quorum quidem sex millia donata sunt, duo uero multo data, eorum animos conuertisti; tu eò perduxisti, ut libentissime opportunis temporibus undique illis pecunijs miro artificio collectis frumenta coemerent in commodum totius ciuitatis, quae summa sape inopia, & caritate rei frumentariae laborabat; ut merito abeundi tibi prætura post publice habitam de laudibus tuis orationem uexillum aureum donatum sit cum illa honestissima inscriptione; Perpetuo charitatis auctori. Sed quid huiusmodi eloquentiae

C 2 tuæ

dem Iulium iiij. hic tam honorifico exitu successit, ut uniuersi senatus grauitatem, imperij maiestatem, Reipu. prope faciem cum omni laudis præconio præ se tulerit. Condolendū fuit de morte Henrici Gallorum Regis cum Francisco II. eius filio, atq; eidem de Regia dignitate gratulandum: hic uera delectus sententia, cum ante profectionem designatus etiam esset ad summū Pontificem Legatus, tamen quia prior fuerat Gallici munera designatio, cum ipso potius Rege condoluit, ac ipsi gratulatus est. Munus præterea gratulationis fuit obeundum apud Pium IIII. quod esset adeptus dignitatem hominibus cœlum pandentem: hic publico decreto co honestatus id ipsum honestissime obiuit. Legatio eligenda fuit ad sacrosanctam Synodum Tridentinam: hic ad eam legationem electus est; in qua præter alia multa, dici profecto non potest, quam egregie se gesserit aduersus Bauariae Legatos, qui anteire Venetiis Legatis conati sunt. Neq; uero quemquam habuistis, Patres Illustrissimi, quem iudicio vestro eidem præferretis in alijs Legationibus, & potissimum cum eum iam Procuratorem Marcium in medio belli ardore declaratum gratulari Gregorio XIII. voluistis, quod coeli claves ipsi commissæ essent; & rursus cum vobis placuit eundem Legatum deligere tum ad summi Pontificis iram aduersus vos exortant ex pace etiam plus quam necessaria cu. Turcis composita vna cum præstantissimo ordinario Legato prorsus extinguedā, tum vero ad ipsum Pontif. magis honorandū, & multiplice legatione supremā ipsius potestate agnoscendā. O rem maximam oīum admiratione dignissimam. O singularē eloquentiam omni eloquentia celebrandā. Allato nuncio huiusmodi pacis tanta Pontificē ira occupauit eius caussas ad huc nescientem, ut nullis illa precibus mitigari, nullo modo deponi, nulla uetusitate sedari posse videretur; in flammaro animo beatissimus pater raptus vix quemquam fari apud se permittebat, qui iustissimam patriæ uestræ excusationem afferre concupiseret; multi Romæ, multi in Hispania, multi in alijs vrribus, ac prouincijs contra Venetum nomen immitto clamabant: cum tu, serenissime Princeps, longissimo itinere in ipsa ingrauescente aetate admirabili celeritate confecto expositis iustis, & necessarijs caussis huiusmodi pacis, redditratione

tuæ effectus miramur, cum eloquentia omnia posuit: id quod ueteres significarunt, cum eam coluerunt sub imagine Herculis catenam quandam auream ore suo tenentis, eiusq; uarijs capitibus, quæ ad astantium aures adhærescerent, omnes, quod uellet, trahentis. Quid dicam denique de plurimis, maximisq; beneficijs, quæ in Patauinum gymnasium viribus eloquentiae tuæ contulisti, cum eius moderator saepissime declaratus, & clarissimis collegis tuis, & illustrissimo senatui toties ea persuasisti, quæ pertinere ad eius splendorem tuendum, atque amplificandum uisa sunt? Etenim, cum optime intelligeres, afferre illud non solum maximam utilitatem Reip. Venetæ, cù in ipso Veneta iuuentus liberalibus disciplinis excolatur, uerum etiam prope incredibile ornamentum, cum ad idem præter studiosos iuuenes ciuitatum Veneto imperio subiectarū studiosorum cateruæ ex omnibus Europæ regionibus perpetuo, assidueq; concurrant; probasti semper uetus Illustrissimi senatus consilium, & factum, ut in antiquissimam Veneti imperij Patauinam urbem excellentissimi Doctores ex omni terrarum parte honestissimis propositis præmijs accirentur: uidelas enim ueterem Romam, ut imperij diuturnitate, ac stabilitate, sic animorum quoq; in optimas artes propensione à patria tua facilime superari, quod illa non semel doctissimos homines edicto suo eiecerit: hæc semper eos in imperium suum undique aduocando existimauerit. Itaq; cum tibi occasio oblata est (saepenumero autem id accidit) sententia in senatu dicenda de doctoribus præstantissimis aut euocandis, aut maiore præmio afficiendis, eam libertissime arripuisti; ut nemo nostrum sit, qui aut publico stipendio per amplitudinem tuam primum conductus, aut postea præmio, & honore auctu, aut aliquo alio modo adiutus, & exornatus tibi plurimum se debere non fateatur. Quamobrem in te, tamquam in numen aliquod nobis propitium, omnes intuemur, hac suprema tua dignitate lætamur; tibi, ut debemus, gratulamur; illudq; gymnasium uniuersum, ac nos omnes tuæ benignitati commendamus. Nam si unquam sperauimus fore, ut nostris commodis consulatur, hoc sine dubio tempore sperare debemus, cum præter Moderatores præstantissimos, Iacobum Foscarenum, Franciscum Venerium, Paullum Theupolum,

lum

lum, quorum præstantem in administranda illa Academia sapientiam omnes admirantur, Principem etiam habeamus litterarum patronum acerrimum, nostri amantisimum, omnium rerum ad illam ipsam pertinentium propter creberriam illius administrationem peritisimum, ea eloquentia præditum, ut facile posuit omnia nostra commoda illustrissimo Senatui persuadere. Quod enim eloquentissime tum uniuerso populo, tum patricijs omnibus pollicitus es, id etiam nobis cōfidimus euenturum, ut omnes commēdatos habeas; cum præsertim sis illius florentissimæ Academiæ, & omnium nostrorum commodorum, atque ornamentorum tamquam parens, ut nos, qui non solum ratione principatus, sed etiam beneficiorum in nos collatorum à tua auctoritate pendemus, omnino tui simus, ac tamquam ea, quæ tua sunt, protegendi, exornandi, ac tua humanitate, & mansuetudine cōpleteēndi. Quod ut facias, amplitudinem tuam rogamus, atque ut benignitate, & benevolentia tua diutissime frui possimus, à Deo Opt. Max. precamur.

Habita III. Nonas Maias M. D. LXXVIII.



AD





A D

# ILLVSTRISS. S.R.E. CARDINALEM Iulium Cananium

*Ant. Riccoboni patriæ nomine Oratio.*



VM in ordinem Cardinalium, I V L I C A N A N I, diuino beneficio sis cooptatus, & quidem cooptatus tanto bonorum omnium applausu, tantaq; lætitia, quantam illustrissimus honor illustrissimis uirtutib<sup>z</sup> tributus potuit excitare; merito, qui te amant, obseruant, & colunt, omnes tibi gratulatum concurrunt: merito uniuersa Diœcesis Adriensis, in quā tua extant grauia, atq; immortalia beneficia, propter maximā dignitatem tuam maxime exultat, atq; triumphat: merito inter ceteros Rhodigium uniuersum amplitudini tuae charissimum, quod praelegisti, ubi habitares, ubi lumen animi, atq; ingenij tui exerceres, ubi potissimum benignitate, humanitate, mansuetudine, clementia, ceterisq; uirtutibus, quæ te omnibus amabile, atq; admirabilem reddunt, utereris, immensum gaudium ostendit. Cumq; alia prope incredibilis gaudij sui singularia, atq; illustria dederit signa, læto æris campani sonitu, pijs ad Deum omnibus in templis gratiarum actionibus, admirabili ad te uenerandum, & Cardinalem consalutā dum,

dum concursu, magnis ignibus, præclara Insignis tui omnibus in locis descriptione, alijsq; multis, quæ omnia enumerare longum esset; hoc quoque munus obiri concupiuit, ut ad Pastorem suum maxime colendum, & summopere prædicandum publica gratulatio haberetur. Ad quod honestum munus obeundum tametsi quamplurimi idonei erant doctri næ, atq; eloquentiæ laudibus ornati, quibus hæc urbs semper fuit affluentissima, quorumq; non nulli iam designati erant ad huiusmodi habendā gratulationē: tñ, cum ad cōem patriæ meæ exultationem, atq; lætitiam concurrissem, me quoque adhiberi oportere, publico decreto, cunetisq; suffragijs hæc ciuitas censuit, si non aliis de causis, at certe hac una huiusmodi muneri maxime congruentem, quod inter eos, qui amplitudinem tuam coluerunt, omni semper animi, ac corporis contentionе appetui principatum. Itaq; felicibus auspicijs Clarissimi huius urbis Praefidis, IO. NATALIS T ALIA PETRAE, ac præstantissimorum huius communitatis Moderatorum, excellentis uiri tum nomine tum cognomine, tū re ipsa BONIFACII, spestabilisq; ciuis IOANNIS CASI LINI, quos honestatis, amplitudinisq; gratia nomino, hoc muneris libentissime exequar, etiam si intelligam me id oneris suscepisse, quod non facile sustineri posse uideatur. Vnde. n. in latissimo laudum tuarum campo dicendi principium sumam? ubi orationis exitum inueniam? cui potissimum gratulabor? tibi ne, Cardinalis Illustrissime, quod maximum honorem maximis uirtutibus tuis debitum sis consecutus, an cum ceteris omnibus honori tuo deditis, tum uero patriæ meæ mihi mea ipsius uita chariori, quæ in te pastore suo clementissimo ualde honorando se ipsam valde honorat? Equidem illam celebrem quæstionem, quam doctissimi homines pertractarunt, mecum ipse sàpè considerauit, Vtrum honoratis, an eius, qui honoratur, honor esset; probabilitaq; in vtramq; partem argumēta inueni. Primum enim in animum induxi meum, non esse dubitandum, quin honor tamquam virtutis præmium, eius ipsius esset, in quo virtus reperiatur, cuius meritis tribueretur, qui denominationem in primis ab ipso honore acciperet; vt, quemadmodum probrum, dedecus, & infamia non est eius, à quo affertur, sed à quo recipitur:

fic

sic laus non laudantis, sed laudati, & honor non honorantis,  
sed honorati esse videatur. Qđ si ita est, quis per Deū in mor  
talem nō intelligit, amplitudini tuæ amplissimū esse honorem  
tribuendū, cuius amplissimæ sūt uirtutes, ap̄lissima merita, am  
plissimū nomē inter viros præcipue, atq; insigniter honoratos,  
illustriq; gloria præfulgētes? Prætermitto iter alia tua decora,  
& dignitatis insignia clarissimā patriam tuā FERRARIAM,  
urbem magnificentissimā, generosissimam, præstantissimis ad  
oēm laudem viris affluentissimam, cum in alijs rebus quām  
plurimis, tum in hac maxime celebrandam, quōd in ea virtu  
tis splendor eluceat, & qui præstantiores sunt, sine dubio cha  
riores sint Principi illi Serenissimo, in quo celeberrimæ lau  
des Imperatoriæ mirabiliter splendent, summa rei militaris  
scientia, in Gallia potissimum, & in Pannonia admirabilis co  
gnita, egregia virtus, eximia auctoritas, maxima felicitas, ut  
qui in rerum gerendarum præstantia, atq; excellentia ei præ  
ferendus sit, non facile in vniuerso terrarū orbe Princeps inue  
niatur. Prætermitto nobilem familiam C A N A N I A M,  
maiorum tuorum virtutibus nobilitatam, illustri rei medicæ  
pertractione cohonestatam, insigni iuris Pontificij, & Cæsa  
rei doctrina perornatam, clarissimo Christianæ religionis splé  
dore collustratam. Quæ quamvis maxima sint ornamenta:  
quoniam tamen tua propria non sunt, sed cum multis com  
munia, idcirco nunc mihi, maxime vero vbi notissima, atq;  
exploratissima habentur, prætereunda existimo. Tantum com  
memoro virtutes illas, sermone quidem omnium contritas,  
& in ore omnium positas, sed ad id, quod agimus, maxime  
accommodatas, meritoq; à recentioribus Theologis Cardina  
les appellatas, quæ te merito Cardinalem effecerunt, admira  
bilem prudentiam, excellenteq; fortitudinem, præclaram tem  
perantiam, singularem iustitiam. Coniunxisti autem cum re  
rum agendarum prudentia rerum multarum scientiam, & in  
primis earum, quæ ad Reip. Christianæ commodum, dignita  
temq; tuendam, atq; augendum pertinere existimantur, tum  
iuris Pontificij, tum eius, quæ in agendo versatur, philosophiæ  
tum historiæ potissimum Ecclesiasticæ; quibus in rebus quan  
topere excellas, plurima, & maxima, eademq; illustrissima de  
dicti documenta. Atque, cum aliq; plurimæ recenseri possint  
virtutes

13

virtutes tuæ, mihi tamen, cui Illustrissimi Senatus Veneti de  
creto abhinc tresdecim annos mandatum est, vt in celeberrī  
mo Gymnasio Patauino veterem eloquentiam profitear, cele  
branda in primis est præclara illa eloquentia tua, qua tanta  
tua cum laude aduersus Christianæ fidei hostes, quasi alter Pe  
ticles, fulgurare, tonare, permiscere omnia solitus es; qua tā  
utiliter in Sanctissima Synodo Tridentina bonum omnium  
persuasiſti; qua tam fructuose populos tuæ fidei commisſos  
monere, atq; hortari consueuisti; qua tam honorifice illustres  
pro Serenissimo Ferrariæ Duce Legationes obiuisti; qua tā  
egregie apud Principes, apud Cardinales, apud Pontificem  
ipsum optimum, & maximum, cum tibi occasio oblata est,  
semper egisti. Quanta autem, & quām multa sint tua in Rēp.  
Christianam merita, quis est, qui dubitare iure posse? Om  
nibus enim patet, te plurimum ei profuisse, cum à secretis fui  
sti I V L I I. III. Pontificis Maximi; cum apud eum au  
toritatem tibi merito tributam, & nemini vñquam alij, ne Car  
dinali quidem cōcessam, eorum omnium signandorum, quæ  
ad potestatem Pontificiam pertinerent, incredibili omnium  
cum admiratione exercuisti; cum multis Episcopis, multis  
Cardinalibūs, multis principibus in rebus iustis, à quarum  
regula nunquam tibi recedendum esse existimasti, gratifica  
tus es; vt in illo maximo honore, maximaq; dignitate, in qua  
te summus esse Pontifex voluit, nulla re magis latari videre  
ris, quām quōd prodesse plurimum, & plurimis posses. O  
benignam voluntatem maxime colendam, maximeq; admirā  
dam, quæ homines ita collustrat, vt ex hominib⁹ prope Deos  
reddere videatur. Cū .n. alia multa in præpotenti Deo mirifi  
ce splendeant, nihil tñ sapientissimorum hominum sententia  
magis illucet, quām præter summam rerum omnium notitiā  
eximia quædam de omnibus bene merendi voluntas, ut me  
rito non solum sapientissimus, sed etiam optimus, & cum in  
alijs rebus, tum in benemerendo maximus sit appellatus.  
Cuius rei claritate qui magis fulgent, ij proprius accedere ad  
diuinam conditionem existimantur; vt merito te tamquām  
omnium suorum commodorum, omnisiq; suæ dignitatis pa  
rentem, ac prope Deum Rhodigium veneretur vniuersum,  
quod maximis, atq; immortalibus à te beneficijs ornatū est.

D Hic

Hic si historiam scriberem, non orationem haberem, replicam memoriam rerum tuarum Rhodigij gestarum ab anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, cum à **I V L I O III.** Pontifice sapientissimo, & gratissimo, Adria Episcopus declaratus es; ut singula tua in nos merita narrarentur: quoniā vero non scribo exteris, ut fortasse aliás faciam, sed apud ciues meos loquor, quibus omnia, quæcūq; de amplitudine tua dici possunt, notissima sunt, tantum vni uerse dico, Rhodigio nullum unquam datum fuisse, aut dari Episcopum potuisse, te ipso nec diuini cultus, & Christianæ pietatis studiosorem; nec pacis, & concordiæ ciuilis amatiorem; nec hæreticæ prauitatis vindicem maiorem; nec in expellendis, & exagitandis hominum flagitijs, & sceleribus acriorem; nec in audiendis, & exaudiendis legitimis miserorum querimonij benigniorem; nec ad innocentes tuendos, ac protegendos paratiorem; nec denique ad bona omnia tum publica, tum priuata prouidenda, & procuranda, malaq; præ cognoscenda, & propellenda incitatiorem. Quæ omnia si singulis tuis rebus gestis, & singularibus beneficijs in hanç urbē collatis confirmare vellem, hodie dicendi finem non facere. In te igitur Rhodigini omnes, tamquam in numen aliquod propitium intuentur. Quid dico Rhodigini omnes? Immo vero Adrienses, Lendenarienses, Abbatientes, Ferrarienses, ceteri, qui te nouerunt, omnes, tuoq; præstanti præsidio, atq; excellesti ope ullo unquam tempore indiguerunt, maximum benignitatis, atq; humanitatis tuæ fructum percipere consueuerunt. Iamuero, si, quemadmodum grauissimus omnium auctor testatus est Arist., duo hominum genera in primis honorantur, tum qui beneficium dederunt, tum qui beneficium dare possunt, dubitandum profecto non est, quin inter viros summopere honoratos merito habearis, qui Rép. Christianam mirabiliter adiunisti, ornasti, auxisti; qui & ante Episcopatus adeptionem, & post ita semper te gessisti, ut de quâ plurimis optime meritus sis: qui & beneficentia, & benefica voluntate omnium tibi benevolentiam conciliaisti; denique qui innumerabilibus, atq; illustrissimis rerum documentis declarasti, quanta, & quâ multa à tuis maximis, clarissimisq; virtutibus proficiisci possint. Quæ causa fuit, quam

mobrem non modo **A L P H O N S V S** huius nominis II. Serenissimus Ferrariæ Dux V. cum Illustrissimo fratre suo **A L O Y S I O** Estensi S. R. E. Cardinali generofissimo, tibi semper insigniter fauerit, teq; ceteris omnibus imperio suo subiectis antetulerit, ac tui in primis studiosissimus fuerit, expertus nimirū sæpenumero fidem, integritatem, præstantiam animi tui excellentem; verū etiam **G R E G O R I V S XIII.** Pontifex Max. idemq; sapientissimus, & benignissimus, uere dignus, qui locum cœlo proximum teneat, te in Cardinalium numerum receperit; quod intelligeret, qui se sub **I V L I O III.** Pont. Max. idoneum ostendisset ad summum Pontificatum administrandum, non nisi aptissimum fore ad Cardinalatus grauitatem sustinendam; quiq; in Episc. dignitate se etiam dignum præbuisset, altiori gradu dignitatis, ad Cardinalatus dignitatem prouehendum esse; ut qui rerum ad sedem Apost. pertinentium maxima præditus esset experientia ( in quo uno rerum usu ueram fulgere sapientiam doctissimi homines censuerunt, & M. quoque Cato Censorius exemplo suo declarauit ) is in excelso collocatus loco plus conferre ad Reip. Christianæ commodum, & splendorem posset. O beatissimam, omnibus maxime probatam, & beatissimo Patre habitam electionem; ut uirtuti suus esset honor; ut qui tamdiu, & tam honorifice in Iesu Christi militia decertassem, legitimate coronaretur; ut cuius præstantissima opera plurimum ualeret ad Christi fidem fouendam, & adiuuandam, is ad clariores Christianæ religionis functiones adhiberetur. Quod si maxi mi Principes de præstanti, atq; excellenti uirtute tua sperare plurimum uidentur, unde omnis in te dignitas profluxit; quid animi esse oportet Rhodiginis, qui tot, tantisq; affecti beneficijs didicerūt, quâ egregia sit tua in ipsis uoluntas, ac probe intelligunt, & pro certo habent, quantum tibi accessit dignitatis, tantundem accessisse ad benemerendum uoluntatis; ut quò illustriori loco sita est auctoritas tua, eò plura, & insigniora futura esse in Rhodigium beneficia uideantur? Merito igitur te Cardinale Rhodigium gaudet universum; meritoq; quicquid ipsum potest, & ualeat, ad humanissimum, & benignissimum confert Pastorem suum excole-

dum. Quamobrem, ut ad id, quod cœperam, mea reuertatur oratio, si de honore gratulandum est, ut certe est, ei si ne dubio gratulandum uidetur, cuius esse honor putatur; eius uero honorem esse, fere omnes existimant, cuius sunt uitutes, cuius sunt merita, qui consequitur uiri honorati denominationem; ut in eo magis, qui honoratur, honorem esse, quam in honorante communiter arbitrentur, & magis illi, quam huic, gratulandum esse contendant. Ex qua communione recte facimus Cardinalis Illustrissime, qui tibi nomine publico Cardinalatum gratulamus; tibi, inquam, tam multis, & tam claris uitutibus perornato, tam illustribus, & tam præstantibus meritis præfulgenti, tam solido, & tam gerano uiri honorati nomine insignito. Verum, cum hoc meritissimo sit, idq; omnes libentissime confiteantur, nondum tamen de honore propositam dubitationem exceptam esse intelligo; maxime uero quia is, cuius auctoritati in litterarum studijs plurimum semper tribuendum esse cessui, quiq; & superiores omnes superasse, & posteris omnibus spē melioris doctrinæ prope in perpetuum uisus est ademisse, tradidit Aristoteles, in honorante magis, quam in eo, qui honoratur, honorem esse. Cuius rei tres fortasse præcipua afferri rationes possunt; altera, quod nihil aliud esse honor uidetur, nisi iudicium quoddam, quod de alicuius sit uirtute, omne autem indicium in iudice ipso inesse, nemo dubitat; altera, quod qui honorat, honeste agit, & honor est honesta quædam actio, omnem uero honestam actionem esse perfectionem agentis, philosophi docuerunt: tertia quod eius existimari honor debet, cuius in manu, & potestate est, pendere autem eum ab honorante, tam certum est, quam quod certissimum; ut honoranti quodammodo magis gratulari debeamus, quia rectum iudicium faciat de uirute, quia honesta se perficiat actione, quia ipse eam rem in potestate habeat, quam libenter exequens, dum alios ornat, seipsum quoq; ornare iudicatur. Nam profecto, si, adducta in gyrū ratione recte hoc perpendere, atq; examinare uelimus, inueniemus, nisi præstantes uirtute uiri honestis se actionibus cōsolarentur, nisi summum in eis bonum collocarent, nisi statuerent, uirtutem minime mercenariam esse, sed propter se

expe-

xpétendam, nihil fere esse, cuius ad altiores dignitatis gradus prouectis tātopere gratularemur; cū pateat, quod altius sunt collocati, eō maiores ipsi labores, maioresq; uigilias esse suscipiendas, omnia prouidenda, omnia circunspicienda, omnia moderanda, quæ ad eos gradus honeste tenendos pertinere videantur: propterea quod hoc maxime propriū est uirtutis, mollia, planaq; itinera designari, ardua, & salebrosa concupiscere; ut, qui virtute prædicti sunt, eis, quāuis honore affectis, non in umbra, atque ocio sit marcescendum, non in rosa, ac viola contabescendum, sed perpetuo agendum, laborandum, vigilandum, pericula subeunda, sanguis quoque ipse, si ita opus sit, pro Repub. profundendus, mors quoque ipsa, si ita Reipub. utile sit, forti animo oppetenda. Itaque si res ipsa difficultatis plenissima, non animus virtute præstantium spectetur, profecto gratulari de honoribus, de dignitatibus, de publicis functionibus, nihil fere aliud est, nisi gratulari de laboribus, de uigilijs, de periculis, quæ toleranda sunt illi, qui suum cum laude munus obire velit; ut illis fortasse magis sit gratulandum, qui uirum virtute præfulgentem honorant, quod eius illustris opera sint usuri, eius honestis actionibus fructuri, in eius assiduitate, & vigilantia conquieturi. Quamobrem, Illustrissime Cardinalis, tamen si obseruato in primis excellenti animo tuo ad agendum, & beneficiendum propenso, tibi merito gratulamus, quod in eum locum ascenderis, ubi tuæ poterunt virtutes illustrius, ac fructuosis exerceri: tamen philosophorum omnium principi, ac coryphæo assentientes Aristoteli, qui censuit honorem quidem esse in eo, qui honoratur, sed magis in honorante, ut ex eius sententia magis huic, quam illi gratulandum esse videatur; gratulamus primum ei, qui omnium hominum est dignitate primus, summo Pontifici, GREGORIO XIIII. Bononiensis soli splendori perpetuo, familiæ Boncompagniæ, bonorum, & virtute præditorum hominum sociæ beneficentissimæ, almo lumini prope sydera collocato, gratulamus, inquam, GREGORIO XIIII. quod rectissime iudicauerit de virtutibus tuis; ut cum per uniuersum terrarum orbem omnibus probata sit felicissima, & prudenter.

dentissima, quam superioribus proximis diebus habuit, unde uiginti Cardinalium electio, non parum apud omnes beatissimum, & sapientissimum eius iudicium laudatum sit, quod te ad Pontificatus commodum, & dignitatem natum, ac diuinitus datum, inter illos undeuiginti enumerauerit. Gratulamur deinde A L O Y S I O Estensi, Cardinali gratissimo, & altissima quadam mente praedito, quod cum cognouisset incredibilem animi tui propensionem ad honestissime, & in perpetuum amplitudini sua seruendum, censuerit, te humanitate, ac benignitate sua prorsus complectendum, & auctoritate, qua summa est, fouendum, ut tibi omnia amoris, fauorisq; sui uela panderit, & apud Pontificem ipsum optimum, & maximum uirtutes tuas perpetuo celebrarit. Gratulamur præterea A L P H O N S O Ferrariae Duci Serenissimo, quod cum eius auctoritas apud sedem Pontificiam plurimum, prout debet, possit, & valeat, omnes vires suas, quæ sine dubio maximæ sunt, & potentissimæ, usque ab initio Pontificatus GREGORII XIII. adhibuerit ad te suis prope manibus in locum Summo Pontificati proximum extollendum, ac nunquam cessauerit, donec tibi Cardinalatum confecerit; vt inter ceteras honorificentissimas, atq; excellentissimas actiones suas hac maxime gloriari poscit, quod te propter præstantiam animi tui singularem alijs quam plurimis, ijsdemque præstantissimis præferens uiris, quibus merito gaudet Ferraria, ad Cardinalatus gradum incredibili suo, ac prope diuino studio unus euexerit. Quo præclaro tui ipsius honorandi instituto humanissimus, & benignissimus Princeps ita oblectatur, vt te delectum S. R. E. Cardinalem multis statim, magnisq; muneribus affecerit, suoq; Insigni, & Aquilæ nigrae in albam fausta, felicique commutatione cohonestauerit, ac dum te omni humauitatis, & benignitatis genere quotidie magis complectitur, admirabile beneficentia, & liberalitatis sua singularis monumentum uelle prodere posteris uideatur. Gratulamur denique uniuersæ Dioecesi Adriensi, Adriæ. Rhodigio, Lendenariæ, omnibus locis hac Dioecesi comprehensis, quod in manu habeant, quomodo Pastorem suum Illustrissimum, si non pro dignitate eius, at saltem pro ui-ribus

ribus suis immortaliter honorando immortalem possint sibi ipsis honorem comparare. Agite igitur, ciues Rhodigiani, ut cœpistis, una cum ceteris Rhodiginæ Polynesii populi, immo uero cum Mundo uniuerso, Pastorem uestrum à communi in primis omnium Pastore, ab Illustrissimo Estensi Cardinali, à Serenissimo Ferrariae Duce honoratum ita honorate, ut si eius dignitati nec rebus nec uerbis respondere potestis, at saltem gratissimos animos ostendatis: collustrate mentes uestras iucundissimo, qui uos fouet, splendore: Cardinalem uestrum Illustrissimum (uester enim & propter constantiam suam, & propter diuturnam apud uos commorationem factus est, & esse uult) amate, obseruate, suspicite: eius memoriam benevolentia colite sempiterna: ad eius nomen perpetuo prædicandum si non parem orationem, at certe gratam animorum significacionem, quantumq; lingua, uoce, dicendi facultate ualetis, libenter conferte: eius grauissima, & immortalia in uos merita, si fieri non potest, ut expleatis, at certe quibuscumq; potestis reuerentiæ, & obseruantæ signis, non pressis leuiter ad exigui prædicationem temporis, sed fixis ad memoriam hominum sempiternam, adornate: uosq; perpetuo propensos, & paratos ostendite ad eius honorem, & gloriam pro uiribus celebrandam. Quod facere debetis, & sine dubio facietis, non solum, quia ita uos decet: uerum etiam ut illustrissimo Veneto Senatu, à cuius auctoritate, tamquam à numine aliquo pendetis, cuiusq; potestatem præ se fert clarissimus huius urbis præses, IO. NATALIS TALIA PETRA, quem iterum honoris caufsa nomino, gracie mini: cum præsertim constet etiam litteris, ut appellant, Du calibus tum Illustrissimo Cardinali ad gratulandum, tum Summo Pontifici ad gratias agendas missis, & singularibus officijs, dum ipse superioribus proximis diebus Venetijs fuit, à Serenissimo Venetiarum Principe, & ab ipso Illustrissimo Senatu ei cumulatissime præstitis, non minus charam, & iucundam huic Sanctissimæ, & Serenissimæ Reip. ad Cardinalatum promotionem, & electionem IVLII CANANII, quam AVGVSTINI VALERII Patritij Veneti, & MICHAELIS TVRRIANI imperio Veneto in Foro Iulio sub-

subditi, extitisse. Tuum uero est, Cardinalis Illustrissime , & Clementissime, tuam pristinam mentem in Rhodiginos omnes, tuumq; de Rhodigio uniuerso benemerendi institutum retinere . Quod te facturum esse certo speramus; hacq; certa spe gaudentes hanc Magnificam Communitatem amplitudini tuae ualde addictam, & hunc populum nomini tuo omnino deditum, tibi in perpetuam cliente lam commendamus ; req; ut Deus Opt.

Max. ad summum in Christiana Rep.

locum reseruet, & diu incolu-  
mem , florentemq; con-  
seruet, etiam atq; e-  
tiam preca-  
murus.

Habita Rhodigij in augustissimo Di. Frañcisci templo  
xv. Kal. Feb. M. D. LXXXIV.



I N



# In Obitu IOANNIS CEPHALI I.C.

*Antonij Riccoboni Oratio .*



Tinam, Auditores, quantus est concursus factus ad cohonestandum Ioannis Cephalii, Iurisconsulti funus: tanta in me esset dicendi facultas; qua possem præstantissimi uiri decora, & dignitatis insignia celebrare; quæ tametsi magnitudine rerū ab ipso gestarum longè inferior mihi conceditur: tamen ego re esse minus difficilem existimo, uirum clarissimum, in oculis gentiū, in luce nationū oīum, ī ipsius gloriæ prope gremio uersatum, eo in loco exornare, ubi actiones eius notissimæ, atq; exploratissimæ sunt; ubi tā multæ, & tā extiterūt, ut eū longè clariorē reddiderint, quām ut lōga aliqua oratione ipse debeat illustrari. Habēda igitur oratio est, nō ut illistroria fiant, q̄ illistriss. existimantur, nō ut amplificētur, quæ p se maxima sunt : sed solummodo ut hoc grati animi officium ei uiro præstetur, cuius memoriæ oīa sine dūbio debentur; idq; magis, ut muneri nostro aliqua ex parte satisfiat, quām quōd ipse ulla indigere laudatione uideatur. Neq; uero a te ra cauſa, quamobrem funebres orationes habētur, nahi negotiū facesfit, ut scilicet in maxima iactura , ac detimento adhibeatur aliqua auditoribus consolatio. Dico n. in ea ciuitate; quæ philosophiæ, omniūq; liberalium artium studijs,

E vnde

unde consolandi, & in oībus rectē agēdi præcepta pētuntur, affluentissima est; ut magis ip̄a alijs gentibus, & nationibus consolaudi uiam, & rationem commostrare posse, quām ullam postulare consolationem existimanda sit. Quamobrem magis consuetudine, quām quōd munus obeam necessariū, audebo uos omnes oratione breuissima cōsolari, atq; in ipso propē uestibulo consolations meā ponam illud, quod confirmare, meo quidem iudicio, fac illūm est, nec eius, qui mortuus est, nec nostra de cauſa dolendum. Itaque nullo modo dolendum. Quid enim mortui uicem doleamus, qua si nobis notum, atque exploratum sit, eum in maximis ærūnis, & miserijs uerari? Non ne summa arrogantia est, homines profiteri se id ipsum scire, quod solus Deus diuina sapientia sua comprehendit? Accedit, quōd dum licuit maioribus huius uitæ commodis, ac dignitatibus perfrui, Ioannes Cephalus vixit; ubi uero satis multos annos, qui fuerunt no uem, & sexaginta, uisus est uixisse, tum sibi, tum familiae, tum patriæ, tum clarissimis Italiae Gymnasijs, ac potissimum Patuino, quod quattuordecim annos eius maxima præstantia fuit exornatum, id est omnibus gentibus & nationibus, quæ confluere in hūc optimarum artium mercatum solitæ sunt; mortuus est. quid dico mortuus? immo uero ex hac adumbrata uita, quæ potius mors est, in ueram uitam commigrauit. Hic laxarem eloquentiæ habenas: percurrerem Rhetorum cāpum: cōmemorarē Deorū, ac sapientissimorum hominum de morte iudicium: pōnerem uobis ante oculos huius uitæ miserias, & calamitates: desriberem mortalē hōnum conditionē, ac naturā: quām fluxa, quāmq; caduca sint bona oīa humana, ostenderē: simul declararem magnitudinem illius supremæ felicitatis, qua illos perfrui certissimum est, qui honestē uixerunt, & honestē mortui sunt: sed in angustijs huius tēporis, qđ ad dicēdū datur, oīa, q; mihi in mētē ueniuunt, enarrare cōsiliū nō accidit; cū præsertim intelligā ea magis trita ēē, quām quæ apud hīnes doctissimos, & litteratissimos, debeat cōmemorari. Sat igitur habebo dicere cū grauissimo omnium Philosopho, & philosophorum corypæo Platone, In oībus iis, q; accidūt, quiescēdūt, quippē qui nesciam⁹ quorsū ea ipsa tēdāt; & tūc maximē id faciendū, cum profici nihil

nihil pōt, ac tamq; in tesserarum ludo ad ea, quæ ceciderunt, animos parandos, atq; oīnō cogitandum, cum ijs, qui mortui sunt, benē actum esse, si eos honestam vitam duxisse comper tum sit. Quod tametsi de Io. Cephalo tam notum est, quām quod notissimum: tñ quia solet esse grata ēt earum rerum cō memoratio, quæ sciuntur, maximē cum ex officio præstatur; non desinam de præclaris eius rebus gestis aliqua dicere, ex quib⁹ facile apparebit, eum inter Iuris. mirabiliter floruisse, honestissime vixisse, ac dignum, qui in cœlum penetraret, extitisse. Ortus igitur in vrbe Ferraria nobili, ac celebri, & copiosa, doctissimisq; , ac fortissimis viris, atq; oībus litterarum, & armorum studijs affluent, quam mōenibus primum septam anno CHRISTI sexcentesimo sexto à Smaragdo Italiae Exarcho, post auctam mirabiliter ad urbis insignis magnitudinē, atq; amplitudinem potentissimi in hunc usque diem principes sedem suam habuerunt; & quidem ortus in Cephalorum familia, ex qua qui originem traxerunt, ijs proprium semper fuit *cephalus* esse, & caput aliorum, ac principem inter alios locum tenere; cum ipse se totum vtriq; iuri Cæsareo, & Pontificio dedisset, vt in eo totus esset, in quo excellentiam appetebat, ac melior fieret Iuris. , ne artem quidem Grammaticā in alijs scriptorib⁹, quām in veteribus Iuris. voluit discere, cum præsertim in eorum scriptis latina elucidere eloquentia videatur, & illa potissimum verba inuestiganda sint, quæ illius disciplinæ firmissima sunt fundamenta, ad quam aīum appulerimus. Itaq; illorum factum minimē sequutus est, qui, cum vniuersum doctrinatum orbem complectantur, dū oīa se scire profitentur, nihil egregiè tenere existimarent: sed in vno rerum genere se exercens, in vnam laudem incumbēs, uni arti studens, maluit in legitima excellere disciplina, eiusq; exactam, & exquisitam cognitionem adipisci, q; mediocriter, vel minus ēt quām mediocriter, vt multi faciūt, multa cognoscere. Quamobrem breui temporis spatio in vtroq; iure ita excellere existimatus est, vt facillimum ei fuerit, non solum Doctoris insignia consequi, & in Iurisconsultorum numerū cooptari, magno aplausu, & lātitia bonorum: verum etiam extolli ad dignitatem ius ipsum publicē interpretandi, & quem interpretandi in clarissimis Italiae Gymn. Ferrariensi,

E 2 Ticinensi,

fuisse, ac potissimum Bononiæ, quod sèpè honestissimis præmijs inuitatus fuit, ac Pisis, quò admodum Reuer. & Illustris vir, Tonsus, gymn. moderator, non litteris, sed præsentia sua, cum se ob id unum huc contulisset, proponens non minimum aliquod præmiuin, sed mille, & trecentos scutatos, superiore proximo anno accersebat. Quas maiores utilitates post habuit semper, quòd se Illustriss. Senatui Veneto maxime deditum, addictum, atq; obstrictum profiteretur. O virum gratissimum, ac de bene meritis optime meritum, oīumq; uocibus, & litteris celebrandum. Neq; vero ex alijs magis, q; ex Io. Cephalo verissimum esse apparuit illud, quod à ueteribus dictum est, domum Iurisc. esse totius oraculum ciuitatis; ad cuius consilium non solum totius vrbis, in qua ipse eset, verum et totius terrarum orbis homines configiebant, non solum priuati, sed et Rerump gubernatores conuertebantur, non solum populi, sed et Reges, tanquam ad numen aliquod respiciebant, nō solum Sereniss. Ferrariæ Duces, & Illustriss. Cardin. quibus semper charissimus fuit, verum et ceteri oēs princeps, cum occasio offerebatur, nuntios suos mittebant; vt in superioribus annis fecerunt Sereniss. Ferrariæ Dux, & Illustriss. Cardin. frater eius, qui, cum controversias quasdā suas eius doctrinæ, atq; intégritati dirimendas vellent cōmittere, ipse tamen modestiæ caussa curauit, ut illæ clarissimo viro, & præstantiss. Iurisc. mandarentur Tiberio Deciano, quē honoris caussa nomino magis, ut eius præclariss. nomine orōne meam illustrem, quam ut ipse orōne mea illustretur, qui maxima, qua pollet, sapientia principibus illis mirabiliter satisfecit. Itaq; Io. Cephalus pp summam iurisprudentiā non solum potuit merito appellari, quemadmodum Sextus Aelius à summo poeta, Egregie cordatus homo catus: verum et tamquam Pythius Apollo apud eundem poetam, gloriari se esse eum, vnde oēs consilium expeterent suarum rerum incerti, atq; de eis cum Ennio dicere, Ego mea ope ex incertis certos, compotesq; consilij dimitto, ut ne res temere tractetur turbidas. Quod dictum, meo quidem iudicio, pace antiquitatis dixerim, videtur et magis, quam Apollini, Io. Cephalo conuenire; si quidem illius oracula partim ambigua, & obscura, & flexiloqua, partim falsa, partim casu vera fuisse traduntur:

huius

Ticinensi, Patauino, non in inferioribus locis ipsorum gymnas, quod tamen in eorum amplitudine latis dignum existimat, sed in supremis, concurrenti ad studiosæ iuuentutis utilitatem non cum infimis, aut mediocribus Iuris, sed semper cum aliquibus de præcipuis, vt Ferrariæ cum excellentiss. Rōcagallo: Ticini cum Franc. Alciato pp summam sapientiam suam, & singularem probitatem nunc S.R.E. Cardinali Illustriss., nec non cum Iacobo Berretta I.V. Doct. præstantissimo; Patauji primum cum Vido Pancirolo, mea quidem sententia, immo uero cōi oīum consensione egregio Iuris, deinde cū Bonifacio Rogerio, & Franc. Mantica, altero illustri Comite, ac magnifico equite, & doctore doctissimo, atq; officiosiss. altero non minus modestiæ, quam iurisprudetiæ laudibus exornato. Quid cōmemorem admirabilem semper factum ad eum audiendum studiosissimorum iuuenium concursum? Satis. n. constat, eius scholas semper, cum ipse profitebatur, ita studiosis iuuenibus fuisse referatas, vt oīa in subsellis loca occupata conspicerentur, & tam frequentes fuisse eius auditores, vt, quemadmodum militum in cohortibus, in legiōnibus, in exercitibus, sic illorum in ipsius scholis magnus existere numerus videretur. Quid dicam, dum ipse ius explicabat, crebras auditorum assensiones, multas admirōnes, magnos applausus? Quid prædicem, dum ipse domum redibat, post publicas disputationes, propè incredibilem eorum frumentum ex benignissimis repetitionibus explicationum, quib⁹ et plus temporis, quam publicis interpretationibus in magna secessorū caterua tribuebat? Quid recenseam eorundem, ipso duce, atq; auctore in studijs vtriusq; iuris ad excellentiā maximas factas progresiones? Vt .n. incredibile dictu est, quantopere oēs, qui eum audiebant, ipsum suspicerent, atque admirarentur: sic certo numero comprehendi non possunt illi, qui eius auxilio in legū cognitione excellentes facti sunt, atq; idonei ad iuris veritatem perspiciendam, ad Remp. capessendam, ad leges ciuitati describendas, ad ius dicendū, ad consilium dandum, ad oīa optimorum iurisconsultorū munera optime obeunda; ut mirum non sit, eum in hoc clarissimo gymnas. ab Illustriss. Senatu Veneto amplissimum præmium obtinuisse, & in alijs multis gymna. summopere expetitum fuisse

huius vero responſa certissima, veriſiſma, & ſumma rōne fir-  
mata ſemper habita ſunt; vt incredibile dictu ſit, quantum e-  
xiftimationem, & gloriā ſuis ſibi consilijs, quantumq; uti-  
tatem, & cōmodum ijs oībus, qui eum conſulebant, ipſe com-  
parauerit. Declarant id conſiliorum volumina ab ipſo edita,  
quibus nihil ad laudem illuſtrius, nihil ad famam honestius,  
nihil ad explicandas Iurisconsultorum tricas, ad dirigendos  
legum mazandros, & anfractus, ad hominum negocia pertra-  
ctanda, ad iudicia de humanis actionibus ferenda accommo-  
datius pōt excogitari. Taceo eum non ſolum bis ex diuturno  
quadraginta ſex annorum profitendi tempore ius comi-  
tis Palatini habuiffle, quod, vt uobis Iurifc. notiſiſum eſt, ac-  
quititur viginti annorum ſpatio ex libro Codicis duodecimo  
de profeforibus, qui in vrbe Constantinopolitana docentes  
ex lege meruerunt comitatuum: verum eſt Illuſtre Comitem  
& magnificum Equitem fuſſe meritiſimo declaratum; ac po-  
tuſſe eſt eſſe Mediolani Senatorem, ſi relinquere publicum  
interpretandi munus, cui ſemper mirificē dedituſ fuſt, voluſi-  
ſet; curante id potiſſimum excellentiſ. viro, Gabriele Cue-  
ua, prætantifimo Mediolanensis Ditionis gubernatore, qui  
per prudentiſſimum eius conſilium magnum quendam Du-  
catum fuerat conſecutus. Hæc, & multa alia huiuſmodi,  
breuitatis cauſa omitto, ac tantum dico id, quod ad perfe-  
ctam, & abſolutam eius gloriā uidetur pertinere, in legum  
disciplina ita eum versatum eſſe, vt cum eius munus ſit, ciues  
efficere bonos, & legibus ſubiectos, non tam ipſe ſtuduerit  
exemplo ueterum Iurisconsultorum ad iuſtitiam homines  
adducere, quam iuste viuere; ita ut incertum ſit, quānam vir-  
tus in eo maior extiterit, ſcientia nē legum, an probitas, pie-  
tas, religio, integritas, innocentia; cuius virtutis ſplendor in  
eo ita enituit, ut eum omnibus amabilem, atq; admirabilem  
reddiderit. Notiſiſum autem eſt, quam pius fuerit, & reli-  
giosus ex ijs, quæ ſanctiſimo huic templo Diui Petri dica-  
uit, ex ornamentiſ ipsius templi, ex numis ante tempus mor-  
tis diuino ſacrificio conſtitutis, & tempore ipſo mortis au-  
ditis, ex ſanctiſima morte, quam ex ueteri iuſtituto Reip.  
Christianæ Christianiſimè obiuit. Et quisquam exiftimabit,  
male actum eſſe cum Ioanne Cephalo, qui omnis probita-  
tis, &

tiſ, & pietatiſ ſpecimen, & exemplar, ad eum locum, qui ei-  
ius uirtuti maxime congruebat, à Deo Opt. Max. uocatus  
alis modeſtiae, æquitatis, ceterarumq; uirtutum, quæ ad ui-  
rum pertinent Christianum, in cœlum penetrauit? Non igi-  
tur eius cauſa, quamuis mortui, dolendum eſt. At noſtra po-  
tiſſimum cauſa dolor cōcipi merito poſſe exiftimatur, quod  
tatum iuriſprudentiæ decus, tantum legum ornamentum,  
tantus legitimæ disciplinæ ſplendor, tanta commoda, tantæ  
utilitates, quæ ab hoc clarissimo uero proficiſcebantur, ex-  
tinctæ ſint, & tanto adiuvemento uniuersa iurisconsultorum  
Resp. uniuersum gymnaſium Patauinum, uniuersa hæc urbs,  
immo uniuersus terrarum orbis priuatus ſit. Ac id quidem  
magnum eſt detrimentum, fateor, magna iactura: non ta-  
men noſtri incommodi cauſa dolendum, ne nos metiſ pos-  
ſamare plus nimio uideamur, & ob id eſſe iniuſti, ac timidi  
& inconstantes exiftimemur. Age enim, qui ſe plus nimio a-  
mat, ſui ipſius cauſa oīa & uult, & facit, ſic iniuſtus eſt, cum  
omnia utilitate ſua, non honestate metiatuſ; ſic adumbratā,  
& Epicuream, non ueram, & Platonicam amicitiam ſequi-  
tur; ut ſi ueri amici Ioanni Cephalo exiftimari uelimus, eius  
felicitate propter incommodum noſtrum dolere non de-  
beamus. Præterea uero qui rebus humanis, & uariis even-  
tis plus iusto commouetur, tum timidus, tum inconstans ap-  
paret. Quare ne nimis timidi, & nimis inconstantes uideau-  
mur, dolere Ioannis Cephalii morte, etiamſi plurimiſ, maxi-  
miq; coſmodiſ, & utilitatibus, quæ ab eo proueniebant,  
priuati ſimus, nos minimè decet: ſed maximè oportet dolo-  
rem compescere, cui qui indulgent, ſua ipſi uoluntate, ſuoq;  
arbitratuſ, miſerrimi, atq; infelicifimi ſiunt. Id quod elegan-  
tiſime etiam fictis fabulis memoriae prodiuſ eſt, quod  
cum Iupiter genitiſ à ſediis diueraſ officia adſcribueret, ac  
distribueret, illud luſtui conſeſſerit, ut ipſe præſto eſſet ſo-  
lis iis, qui ipſum uoluiffent, ipſumq; elegiſſent. Quid? in obi-  
tu tanti uiri nullus omnino dolor eſt exprimenduſ? Non  
dico id, Aud. neq; .n. uos eſſe, ut inquit ille, ex quereu, aut  
eſſe ſilice natuſ exiftimo, non ferreos, aut adamantaeos, nec ad-  
mitto uæſanam illam indolentiam Stoicam, quæ etiam in  
maximiſ malis nihil ſe pati profitebatur; ſed uos maximo-  
pere

pere laudo, quod nec Crassum, nec Domitium imitemini,  
quorum alter extincta in piscinis murena fleuit amare, al-  
ter cum diuersis temporibus tres uxores suas mortuas con-  
spexisset, ne guttam quidem lachrymæ effudit; laudo, inquit,  
uos etiam, atq; etiam, quod tanquam sapientes, & alta qua-  
dam mente prædicti modum in dolendo adhibeatis. Sic per-  
gite, Aud. ut uestram sapientiam decet; ac maximas, clarissi-  
masq; Ioannis Cephalii uirtutes, ad imitandum propositas ha-  
bete. Tuq; in primis, excellens uir, Io. Baptista, fili eius, excel-  
lentem præstantiam, & præstantem excellentiam optimi pa-  
tris, singularem probitatem, ac propè incredibilem mansue-  
dinem, ceterasq; oës uirtutes, quæ in eo mirabiliter eluce-  
bant, imitare, ut sis non solum fortunarum, sed etiam uirtu-  
tum paternarum heres. Id quod tefacturum, pro certo habe-  
mus, non solum quia ex bonis boni, ex præstantibus præ-  
stantes oriri soliti sunt: uerum etiam quia lumine animi, at  
que ingenii collustratus, & rectissimis simul studiis ad ue-  
rum decus, & ueram gloriam, quæ à sola uirtute manat, con-  
formatus, nihil nisi sublime cogitas; unde cum maxima tua  
laude, iuris utriusq; doctor factus es, & quotidianis labori-  
bus, atq; assiduis uigiliis tuis uiam tibi paras ad nominis  
immortalitatem. Vos uero iuuenes legum studiosi, qui à  
præclarissimo sene, tanquam à dulcisimo parente charisi-  
mi liberi diligebamini, qui non solum doctrinam, & erudi-  
tionem præstantissimi, ac præcellentissimi Iurisconsulti, ue-  
rum etiam modestiam, humanitatem, & benignitatem exper-  
ti estis, qui facilitati eius, & amori plurimum debetis, cum  
eius charissimum filium, & heredem illis omnibus officiis,  
quæ à gratissimis animis proficiunt consueuerunt, ne graue-  
mini consolari, tum uero etiam uos metipos effingite ad tan-  
ti uiri imitationem, & memoriam doctoris optimè de uobis  
meriti benevolentia colite sempiterna.

Habita Patauij in Templo Di. Petri V. kal. Ian.  
M. D. Lxx.



# In Obitu P A T A R I B V Z A C H A R E N I Patauini

*Antonij Riccoboni Oratio:*



VM satis re ipsa factum sit Patari Buzacharenj decori, atq; ornamento, ma-  
gnificentissima pompa funerris, nobilissimo cōfessu ciuium Patauinorum,  
maximo concursu Doctorum, & Iuue-  
num studiosorum, summo mœrore Pa-  
tauij yniuersi, quod quidem prope cō-  
uulsum sedibus suis ad cohœstandū  
præstantissimum ciuem suum totum confluxisse in hoc tem-  
plum uidetur: oratione simul erat satisfaciendum, quæ ma-  
gnitudini rerum ab ipso gestarum aliqua ex parte respon-  
deret. Nam, si præclarum ueterum institutum fuit, ut, qui  
in bello fortissime pugnando occubuerint, publice laudare-  
tur; cur illi laudibus non efferantur, qui, cum egregiam  
operam Reip. nauauerint, suam tamen uitam referuare ad  
alia Reip. commoda potuerunt? Quo quidem in numero  
cum fuerit Patarus Buzacharenus, exornandus esse merito  
uidebatur: idq; munus sane egregium, & præclarum cum he-  
sterno die mihi delatum sit, me in brecuē quendam quasi  
F orbem

idcirco prætermittenda est T. Liui gloria celeberrima, qui temporibus Augusti Imperatoris ea maiestate historias conscripsit, centum, & quadraginta libris comprehensas, eamq; delectationem, atq; iucunditatem afferre lectoribus consuevit, ut uel Alphonsus posterior Hispanæ Rex incômoda laborans ualetudine, cum à Medicis sanari non posset, iucundissima unius Liuij lectione sanatus esse dicatur. Idem Alphonsus cum audiisset in hac urbe T. Liuij cines, atq; ossa inuenta esse, sic eius memoriam ueneratus est, ut statim Legatos miserit, qui si fieri ullo paecto posset, illos cineres, atq. illa ossa, quocunque liberet precio, emerent, cui quidem nobilissimi, & benignissimi Patauini tantummodo brachijs os dono concederût, tamquam summo præstantissimi ciuis sui fautori. O famæ celebritatem admirandam. Accedit ad gloriam ciuium per totum terrarum orbem clarissimorum excellentia utriusq; Collegij, tum Iurisconsultorum, tum Medicorum, & Philosophorum, quorum utrumque maximam sine dubio apud omnes obtinet auctoritatē: celebritasq; Clarissimis Gymnasijs, quod perpetuo iuuenes studiosi ex omnibus regionibus, assidueq; concurrunt; ut qui bus placet in hac urbe uitam degere, ij non solum in clarissimo totius Italiz conspectu, uerum etiam in omnium gentium, & nationum oculis, atq; in maxima hominum luce, omninoq; in celeberrimo omnis dignitatis, & gloriæ domicilio uiuere uideantur. Ac quemadmodum quidem Patauij patet nobilitas: sic Buzacharenæ splendor familiæ prorsus illuet. Etenim, cum sapietissimus philosophus scriperit Aristoteles in familiarum nobilitate requiri, ut generis auctores illustres fuerint, & ex ipso genere multi illustres extiterint, tum uiri, tum foeminæ; profecto generis Buzachareni auctores & se, & posteros suos maximopere illustrarunt, ac totâ familiâ suâ clarissimâ reddiderût; quæ in hac antiquissima urbe adeo antiqua est, ut ipso prope Patauij natali die orta esse existimetur: ex genere aut Buzachareno quam plurimi extiterunt generosi uiri, qui splendorē à maioribꝫ acceptū cum maxima sua laude conferuarunt, atq; adauxerunt; vt inter ceteros Buzacharenus senior, Ducius, Fulcus, Buzacharenus iunior, Tiflaus, Nicolaus, Patarus, viri in re militari exercitatiſſimi, ac

F 2 omni

erbem colligam; nec prorsus difficile existimabo Patauīnum apud Patauinos collaudare, qui non minus, immo uero etiam magis, quam ego Clarissimi Viri singularem præstantiam nouerunt. Neque uero expectare eruditissimum Patauium debet, ut de huius uitæ cōditione consolandi causa differam, quæ tam multis miserijs, & calamitatibus oppressa, tamquam fluctibus, & uentis aduersissimis agitata cōspicitur, ut melius cum illis aetum esse existimat, qui citius ex his malis discesserint. Quid enim est tam sermone omnium tritum, & perulgatum in hac urbe omnium disciplinarum altrice, omnis scientiæ parente, quam ferendam esse communem conditionem, ut omnes mortales iuxta legem naturæ à Deo Opt. Max. sibi impositam moriantur? Neq; nobilissima Buzacharena familia uidetur desiderare, ut in ea consolanda tempus conteram, quæ cum omni sapientia, ac prudētia præstet, optimeq; per se nouerit, superuacaneum esse mœrorem, qui proficire nihil queat, nullam mea quidem sententia aliam expedit consolationem, nisi ut maximuī uiri maximæ uirtuti debitus honor præstetur. Non faciam igitur, non faciam eam Pataro Buzachareno iniuriam, ut magis in alienis ornamentis celebrandis uersari, quam propria eius decora, quæ totam orationem meam perquirunt, attingere uidear. Quæ cauſa etiā erit, quamobrem per pauca dicam de Patauij, ubi ipse ortus est, nobilitate, ac de familiæ Buzacharenæ, ex qua idem originem traxit, splendore. Satis enim constat urbem Patauium Trojanam originem habere, atque ita antiquam esse, ut uel ipsam gentium Principem Roman originis supereret uetus state. Mitto antiquam eius potestatem humanarum rerum conditione commutatam. Mitto felicem hunc, ac plane diuinum genium Patauīnum, quem omnes gentes, & nationes semper excoluerunt. Tantum dico, præter alia huius ciuitatis decora, & dignitas insignia eam doctrinæ laude potissimum præstiffisse, ut in ea clarissimus historicus T. Liuius, in ea maximus iurisconsultus Paullus, in ea nobilissimi poeta, Stella, & Flaccus, in ea alijs quam plurimi omni optimarum genere artium præstantes floruerint; de quibus singulis si consilium mihi accidisset dicere, hodie dicendi finem non inuenirem. Nec tamen idcirco

omni armorum laude insignis: Salio primus, Fulcus secundus, Buzacharenus tertius, Paduanus, Pantaleo, utriusque iuris doctissimi, ac legum interpretes eloquentissimi: Salio secundus, Mathematicus, & Astrologus sapientissimus: Salio tertius, Canonicus Patauinus religiosissimus, & Adria Episcopus perillustris: Fina, fœmina præstantissima, Francisci Carrariensis, qui Patauij dominatus est, vxor, quam quidem præclarum in hac vrbe Seruitarum templum exædificandū mandasse, vetera monumenta testantur: Arcuanus Finæ frater, fortitudine, & magnanimitate, omniq; bellica gloria illustris, qui propter singularia in Remp. Florentinam merita anno Christi septuagesimo vltra millesimum, & trecentesimum honestissimis privilegijs decoratus est, suminusq; Ludouici Vngariæ Regis præfectus fuit, ac propter excellentem præstantiam suam aquilæ albæ insigni anno post Christum natum millesimo trecentesimo septuagesimo octavo ab eo donatus est, quæ aquila adhuc cum Buzacharenorum insigni coniuncta cernitur: tres Arcuani filij, Patarus alter, Ladislaus, Franciseus, Equites clarissimi, & celeberrimi: Ludouicus ille præstantissimus, qui summus fuit Veneti exercitus gubernator: alij tam multi tum armorum, tum litterarum laude florentes, vt si recensere omnes velim, hodie finem facturus non sim. Ad te igitur venio, qui tertius ex domo Buzacharena Patarus extisti, cuius maxime omnium merore exticti exequias nunc celebramus; qui quidem cum patriæ splendore fulgeres, & familiae fulgore splenderes, non tibi in ocio marcescendum putasti, sed eam viuendi uiam iniuisti, quæ uerum decus, ueramq; gloriam à sola uirtute proficiente consequatur. Itaque, cum & corpore robustus, & animo intrepidus semper fueris, fortitudinis in primis laudem adamasti, id est eius præclaræ, atq; egregiæ virtutis, quæ commune commodum, communemq; dignitatem priuatæ saluti, atq; incolumitati anteponit. Hæc nimis illa virtus est, quæ immortale nomen reddere, declarauit Leonides Spartanus, is, qui eum trecentis ciuibus ad Thermopylas toti Asia pro Xerxe militanti obiectus fortissime occidit, tunc cum dixit, Prandete, Commilitones, tamquam apud inferos coenaturi: declarauit Epaminondas Thebanus, qui contra Lacedæmonios

nios dimicans magno animo perijt, tum cum trajectus hasta quæsiuit, an clypeus esset saluus, an fusci hostes; eaq; vbi ex sententia animi sui euenisce intellexit, se potius nasci, quam mori professus est: declarauit Brutus, qui pro patria pugnando simili iectu Aruntem hostem transfixit, ac transfixus est, ita ut ambo duabus hærentes hastis moribundi ex equis lapsi sint: declarauit Decius pater, qui in bello Latino; Decius filius, qui in bello à Gallis, Etruscis, & vmbbris simul illato; Decius nepos, qui in bello contra Pyrrhum pro patriæ salute mortem sibi forti animo esse oppetendam existimauit: declararunt P. & Cn. Scipiones, qui in Hispania aduersus Poenos dimicando; Paullus Aemilius, qui ad Cannas; M. Marcellus, qui ad Venusiam; Albinus, qui apud Latinos; Gracchus, qui apud Lucanos; alij prope innumerabiles; & vniuer si quoq; exercitus, qui strenuissime pro Rep. occubuerunt. Hanc præstantem, & præcellentem virtutem Rebus p. plurimum prodeesse, testis est Miltiades, qui maxima sua cum laude Darium Persarum Regem ad Marathonem vicit: testis Themistocles, qui Xerxem persarum quoq; Regem superauit: testis Cimon, qui etiam de Persis victoriam reportauit: testis vterq; Africanus, quorum alter Carthaginem populo Rom. reddidit tributariam, alter funditus deleuit: testes alij quamplurimi Imperatores, atq; inter ceteros Sebastianus Venerius, & Augustinus Barbadicus, qui cum Trierarchis suis, & in primis cum eo, quem nunc merito laudamus, viro præstantissimo, Pataro Buzachareno, insignem de Turcis uitioriam retulerunt. Nam in superiori proximo bello contra Turcas, tetricos Christiani nominis hostes, gesto, non nullis accitis ab Illustris. Senatu ex ciuitatibus Veneto Imperio subiectis, qui in tanto, tamquam graui periculo Reip. quantum fieri posset, opitularentur, atq; inter ceteras hac generosissima ciuitate ad aliquam opem ferendam publice inuitata; Patarus cunctis ciuium suffragijs factus est Trierarchus, qui ad præliandum pro Christi fide proficisceretur. Itaq; Patauinæ Trierini præfectus, dici non potest, quam egregiam, & excellentem operam nauauerit. Etenim inibi erant immanissimi Turcae, vt vniuersum Imperium Venetū occuparent. quid dico Imperium Venetum? immo uero si

mul

mul ditionem, & potestatem Hispanorum, & Romanorum, qui cum Venetis ad tutandam Remp. Christianam sanctissime conspirauerant; immo etiam oes Christianorum principatus, omnia Regna, omnium gentium, & nationum dominatum: superbiebant immanissimi hostes, ac prospera fortuna se efferebant, singularemq; ferociam, & immanitatem representabant: ex portu Naupacti cum munitissima, & numerosissima classe non hominibus solum terribili, sed Neptuno quoq; compedes, & caelo tenebras minitante exiuerant, ac no minus superbi, insolentesq; quam si iam uictoriam reportas sent, ludibundi irruerant, ut Christianas classes, quæ non procul conspiciebantur, diriperent, triremes effunderent, immo vero frangerent, incenderent, obruerent, militesq; atq; imperatores contrucidarent: horribili clamore vndiq; omnia repelbant; vndiq; tubarum, timpanorum, buccinarum sonitu æthera feriebant; undiq; armorum fulgore præstringebant oculos; vndique sagittas emittebant; vndiq; saxa iaciebant; & sagittarum, saxonumq; fragore turbulentam tempestate miscebant; vndiq; tormentorum militarum tonitruis omnes terrere, horrificisq; iictibus, quasi fulminum iactibus omnia diruere, delere, perdere conabantur: cum Patarus Buzacharenus fratribus suis comitatus Brunoro, & Augustino, alijsq; patritijs Patauinis, fortissimis, ac strenuissimis, nequaquam degenerantibus à bellicosis Troianis, vnde genus traxerunt, Patauinam Triremem in confertissimas Turcarum Triremes cupidus pugnandi, uincendi, in suo ipsorum sanguine nantes hostes spectandi, perduxit, atq; vna cum ceteris animose ac gloriose præliando ita se gessit, ut maximum partibus suis adiumentum, pulcherrimum patriæ suæ decus, semipiternum familiæ suæ ornamentum, immortale sibi ipsi nomen comparauerit. Nam præter ceteras eius res gestas maxime dignas memoria immortaliter, præter vulnera excepta, omnia aduersa, nulla auersa, præter sanguinem pro Christi fide effusum; certissima, verissimaq; habentur testimonia, & Sere-nissimi quoq; Venetiarum Principis extant litteræ, quæ aperi-tissime testantur, Patari opera, & beneficio Caracosum Archipiratam omnium immanissimum, atq; audacissimum, Christianarum classium exploratorem assiduum, ac vehementem,

cum

cum ea, quam ducebatur, munitissima Trireme captum esse; cuius rei cauſa ipse Patarus immortaliter laudatus est. à summis Imperatoribus, Ioanne Austrio, M. Antonio Columna, Sebastiano Venerio, quorum alterum Romanæ classi pro Pio V. Pontifice Max. primum Hispanæ pro Philippo Rege Catholico, tertium Venetæ pro Aloysio Mocenico Venetiarum Principe, Venetaq; Rep. ea tempestate præfuisse, notissimum est. O virtutem admirabilem, atq; apud omnes gentes, & nationes deprædicanda. O mirificum in Remp. Venetam, immo in vniuersam Remp. Christianam beneficium. O fortitudinem semper admirandam, semper colendam, semper celebrandam, quæ nomen Patauinum, & Buzacharenū reddidit immortale. Hac tanta celebritate famæ miram profecto non fuit, si statim post eiusmodi bellum multis ipse dignitatis gradibus ab Illustriss. Senatu Veneto ornatus est: si gubernator propugnaculorum Allieniaci factus est: si tempore superioris proximæ pestilentiae missus est Brixiam ad castellum custodiendum, quæ potestas non nisi patritio Veneto permitti consuevit: si postea electus est gubernator Taurisi, & præfectus vniuersæ militiae non solum Taurisanæ, sed et Mestrinæ, & Bassanensi; qd ipse munus cū maxima sua laude hoc tempore obibat. Quas dignitates, vere dignitates, digno viro tributas, & ipsius quoq; meritis inferiores ita administravit, vt nihil unq; in eo desideratū sit, quod ad illas summa cū fide, prudentia, animi magnitudine, innocentia, atque integritate administrandas pertinere existimaretur. Tanta uero benignitate semper, atq; humanitate usus est erga milites sibi subiectos, & suo ductui, atq; imperio commissos, ut qui auctoritate ceteris antestabat, mansuetidine, & morum facilitate par omnibus, aut etiam inferior uideretur. Quamobrem oes milites expetebant sub tam præstanti, & benigno duce militare, qui se illis non sœuissimum imperatorem, sed quadam cum grauitate, immo potius granditate amantissimum socium præbebat: omnes ei libentissime parebāt: omnes eius officijs, beneficijsq; obstringebantur: omnes eū tamquam cœlo delapsum intuebantur, atq; admirabantur, omniumq; suorum commodorum, parentem, ac prope deū appellabant, colebant, uenerabantur. Itaque non sine cauſa

omnes

omnes auditæ eius morte varijs modis intimos animorum, suorum angores aperuerunt: Venetijs, Senatores maximum dolorem conceperunt, quod quem in tanto bello ad hibitum ad oes maiores dignitates pro Reip. conseruatione reserua bant, sibi morte præceptus sit. Is n. propter maximas, clarissimasq; uirtutes suas, ac singularem præstantiam, & in armorum tractatione excellentiam Illustrissimo Senatui adeo charus erat, ut, qui in hac Rep. omnium gratissima uiris fortissimis, ac fidissimis honores propositi sunt, eonsecuturus esse omnes sine dubio uideretur. Quod si tanti uiri iactura uel exteri dolent; quid animi esse oportet nobilissimæ huic ciuitati, & generosissimæ familiæ Buzacharenæ, quæ tanto bono priuata est? Merito igitur squallent omnes, merito lu gent omnes, merito fletum omnium tristissimus huius templi habitus comitur, ut etiam ipsi parietes quodammodo Patari Buzachareni mortem conqueri, & lamentari uideantur. Cum autem uos, ciues Patauini præstantissimi, hunc egregium, & præclarum ciuem uestrum amiseritis; cum uos, nobilissimi Buzachareni, hunc clarissimum propinquum ue strum ex hac uita surreptum esse doleatis: nolite, obsecro, existimare, male actum cum illo esse, qui pro Christi fide pugnando, & Christianissime uiuendo, ac Christianissime moriendo sibi aditum in cœlum parauerat, ac quadragesimo octauo ætatis suæ anno ad globos cœlestes penetrauit; nolite cogitare extinctum esse illud lumen, quod lucebit quotidie magis non solum in splendore cœlesti, uerum etiam in memoria hominum sempiterna; proponite uobis ante oculos admirabiles eius uirtutes ad imitandum; pergit, ut facitis, honorem habere ei, qui uos tanto honore affecit; pergit, te ornatissimum ciuem Patauinum ornatissimi ciues Patauini quotidie magis ornare; pergit pulcherrimum dare posteris documentum, pro patria, pro honestate, pro Dei cultu pugnantibus omne decus tribui, & ornamentum.

Habita Patauij in templo Di. Augustini, VI. Id. Ian.  
M. D. LXXXI.



IN

## POST SVPERIOREM PROXIMAM HABITAM

Orationem eius auctori datum est hoc  
Priuilegium.

## IN NOMINE PRAEPOTENTIS DEI,

Nos Doctus Doctius Eques, Io. Franciscus Musaptus,  
Robertus Trapolinus, Albertus Comes, Sapientes  
Deputati ad utilia Patauinæ, ciuitatis,

*ANTONIO RICCOBONO,*  
*cini Rhodigino, Legum Doctori, in Florentissimo Gymna-*  
*siq; Patauino Humanitatem Profiteni S. D.*



E M P E R fuit Troiani proprium sanguinis ius suum cum viris virtute præstantibus communicare. Itaque Romani cognati nostri præclarissimi, ab Aenea, & Ascanio, heroibus Troianis, oriundi quæ amplius gratuito ciuitatem impertiti sunt, quos

G fine

sine dubio anteferendos esse Thebanis, La-  
cedæmonijs, Atheniensibus, alioquin om-  
nem laudis excellentiam superantibus, qui  
vel nulos, vel paucos in ius ciuitatis suæ ad  
misisse, & hospites quoque expulisse comme-  
morantur, doctissimi homines censuerunt.  
Et Antenor, qui post Troiæ excidium cum  
Aenea in Italiam venit, cum vrbe Patauiū  
in hac camporum, colliumq; amœnitate  
condidisset, multos ad hāc rerum omnium  
ubertatem, & copiam concurrentes benigne  
excipiendo, ciuum suorum numerum mira-  
biliter auxit; cuius præclaris institutis diligē-  
tissime seruandis se potuit hæc ciuitas tam  
multos abhinc annos ab interitu vindicare.  
Et nos eius, à quo originem trahimus, insi-  
gnibus vestigijs insistendo, tametsi hanc ip-  
sam vrbem laudari audimus rebus quibus-  
dam, quæ fortasse nec nobis dissimulandæ,  
nec alijs contemnendæ sunt, originis vetusta-  
te, viarum commoditate, ædium elegantia,  
agrorum, & montium fertilitate, fontium,  
& fluminum pulchritudine, ciuum in ar-  
mis, & litteris excellentia, publici gymnasij  
celebritate, vtriulq; collegij, tum Iuriscon-  
sultorum, tum Philosophorum, & Medicorū  
claritate, quib⁹ quidē rebus iusto iudicio  
hæc vrbis cum oib⁹ Italiæ urbib⁹ certare me-  
rito

26

rito posse existimatur: tamen, nullam sāne  
laudem maiori studio conseſtamur, nul-  
lumq; decus, atq; ornementum antiquius  
habemus, quam ut ciuitate omnibusq; ho-  
noribus virtute præstantes uiros donasse,  
& decorasse dicamur. Quorum in numero  
cum esse te maxima tua cum laude nobis no-  
tissimum, atq; exploratissimum sit, qui  
cum in clarissimo Iurisconsultorum col-  
legio Legum Doctor nemine penitus dis-  
sentiente declaratus es, &, poste aquam  
in locum Francisci Robortelli Vtinensis, ui-  
ri clarissimi, ad veterem eloquentiam tum  
Græcam, tum Latinam in florentissimo  
Gymnasio tradendam publico Illustrissi-  
morum Venetorum decreto succesisti, præ-  
stantię tuæ mira dederis documenta; cumq;  
obseruauerimus, in honestissimis munerib⁹  
publice obeundis, & in priuatis quoque col-  
locationibus fuisse te semper Patauinī nomi-  
nis obseruantissimum, huiusq; urbis præco-  
nem eloquentissimum: allatis magnificæ u-  
niuersitati nostræ litteris, quibus suppliciter  
petebas, ut te in numerum Patauinorum ci-  
uium cooptaremus; næ, ita nos Deus  
amet, propensam tuam in nos uoluntatem  
charissimam, & iucundissimam habuimus;  
statimq; communi omnium consensu, sum

G 2 miq;

miq; ciuium legitime congregatorum honori tuo libentissime suffragantium studio, ac prope incredibili uniuersi populi letitia, & applausu, approbantibus id Illustriſſimis præſidibus huius magnifice urbis, Aloysio Grimano Prætore, & Daniele Priolo Præfecto, uiris integerimis, hodierno die te, quiq; ex te, liberisq; tuis nascen- tur, omnes in numerum ciuium Patauinorū asciscimus, deligimus, aſcribimus, referimus, & aſcitem, delectum, aſcriptum, relatum communi omnium uoce comproba- mus, huiusq; ciuitatis ius, quām poſſu- mus, ampliſſimum tibi, posterisq; tuis omni- bus ex te, liberisq; tuis orituris concedi- mus, & impertimur, atq; in Patauinā nobili- tatem, ac ciuium, qui in hac urbe orti ſunt, cœtum te cum filijs, nepotibus, & à te deſce- ſuris omnibus recipimus, & aggregamus. Idq; eò libentius facimus, quòd hac in re pu- tamus nos ualde gratificari non ſolum Rhodinæ ciuitati, quæ cum uoluerit eſſe te inter consiliarios non ad certum tempus, ſed toto uitę ſpatio illam magnificam Com- munitatem gubernantes, lætabitur ci- ues ſuos à nobis magnifieri: uerum etiam Il- luſtriſſimo Senatui Veneto, cuius ditioni ſu- bieci ſumus, cuiusq; in te honorando quaſi



præroga-

<sup>27</sup> prærogatiuam, tūc potiſſimum datam, cum ad principem ueteris tradendę eloquentiæ in celeberrimo gymnaſio locum honestiſ- ſimo ille te præmio extulit, facile ſuffra- gia noſtra, quæ ius ciuitatis tibi dede- runt, ſunt conſecuta; & quia ſimul in ſpem certiſſimam uenimus fore, ut, quemadmo- dum iurafti, leges omnes, quibus teneris, ti- bi ſeruandas exiſtimes; ut iuri Veneto, & Pa- tauino pareas; ut munera obeas, & onera ſu- beas, quæ ſunt tibi cum ceteris ciuibus com- munia; ut pro Serenifima Rep. Veneta, & pro magnifica ciuitate Patauina, cum offere- tur occasio, tibi propugnādum putes, atque utriusq; iura, cum per auctoritatē licebit, defendas; ut imperio Veneto, & Patauinę Communitati fidelis ſis; ut imminentia ciui- bus pericula tollere ſtudeas; ut concordiam inter discordes ciues procures; ut amicis fi- dem ſerues; denique ut omnia optimi ciuiis officia exequaris, nihilq; omittas eorum, que Patauino nomine digna eſſe exiſtiman- tur. Quamobrem, Antoni Riccobone, ciuiis noſter nobis chariſſime, nobis cum gaude- bis pleno Patauii iure; omnibusq; priuile- gijs, prærogatiuis, beneficijs, muneribus, qualiacunq;, & quantacunq; nobis ipſis co- cessa ſunt, tum in urbe, tum extra urbem, per frueris

frueris. Quod Reip. Venetæ, & populo Patauino, ac familię tuę bonum, faustum, felix, fortunatumq; sit. Cui nostro priuilegio, decreto, statuto nemo contradicere, contrauenire, aut aliquid derogare audeat; quiq. aduersari, repugnare, obſistere uifus fuerit, legum inimicus, aduersarius, obtrectator ha- beatur.

Ex Tabulario Patauinæ Communitatis.  
V. kal. Febr. M. D. LXXXI.

IN



28

## In Obitu TIBERII DECIANI I. C.

*Antonij Riccoboni Oratio.*



Agnam calamitatem, Aud. ornatisimi, ex morte Tiberij Deciani, accepimus; magnamq; iacturam in obitu iurisconsulti tam egregij, atq; eximij nobilissimum fecit gymnasium Patauinum; vt cum eius præsidio priuati simus, cuius singulari sapientia nitebamur, merito incereamus omnes, merito inceſtitæ nostræ non obscuram significationem demus. Sed in communii omnium luctu ea consolatio est capienda, quod ipse non solum quotidianis laboribus, atq; asfiduis vigilijs suis nominis sibi immortalitatem comparauit: verum etiam integritate, innocentia, probitate, Christiane vivendo, & Christianissime moriendo, aditum sibi in cœlum patefecit. Equidem hunc communem inceſtorem, egregia huius pompa funeris, honestissimo, & frequentissimo hoc uestro concursu declaratum, non possum non omnib. laudibus efferre. Sed quemadmodum, cum Achilles locis suis narraret, Patroclum amicum suum in quiete sibi visum esse deflentem miseriam suam, & rogantem, ut suum sepulturæ corpus datur, in eis statim excitata est admirabilis quædam lugendi cupiditas, non sine aliqua iucunditate ex ipius Patrocli recordatione, & quasi conspectu: sic ego non vereor, ne ex tā

ris filia dicitur, alijsq; alij misertime excruciat sunt; neq; so-  
lum multos, magnosq; dolores hominum corpora ex se se-  
colligunt, verum etiam verbēra, vulnera, venena, extrinsecus  
inferuntur, nulla penē non parte mortifera; & perniciōsi  
sunt morsus ferarum, ac in primis serpentium, aspidis, cera-  
stæ, dipsadis, chelydri, atq; etiam, scorpionis, & phalangij.  
Cum autem tot, tantiq; morbi corpus humanum perturbet,  
ne animus quidem vacuus est à maximis, plurimisq; pertur-  
bationibus, quæ prorsus eum miserum, atq; infelicem effi-  
ciunt. Nam voluptatum illecebræ, dolorum faces, diuitia-  
rum splendor, obscura, & contempta paupertas, honorum  
sitis, ignominiæ metus, aliæq; furiæ, & pestes eum conuellūt,  
ac labefactant: eum compellunt in primis, & funditus contur-  
bant furentis libidinis flatus: in eo solet radices agere immē-  
sa illa, atq; inexplicabilis accumulandarum opum auditas,  
quæ non solum inopia, sed etiam copia incendit: is inflam-  
matur facibus illius perturbatrixis humanarum rerum, cor-  
ruptricis optimi cuiusq; ingenij, concitatrixis bellorum om-  
nium ambitionis, quam numquam consenescere, sed semper  
in eis, quos semel occupauit, uirere doctissimi homines cen-  
suerunt. Hic igitur, & alijs tot, tantisq; malis, quibus subie-  
cta est uita humana, liberatus præcellentissimus vir, Tiberius  
Decianus, quam felicitatem in hac vita habere non potuit,  
ad eam ex Dei optimi maximi uoluntate per mortem perdu-  
ctus est. Neq; enim aliter existimare possumus de eo, qui  
maximas, clarissimasq; uirtutes ex præstanti patriæ nobilita-  
te hauserit, ex liberali parentum institutione arripuerit, ex  
præclaris litterarum studijs expresserit, ut ad rectum à natu-  
ra factus, & educatione, ac bonarum artium pertractione  
formatus esse omnibus uideretur. Nam originem traxit à  
nobilissima Carnorum regione, quod Forum Iulium nuncu-  
pamus, cuius regionis præstantia ex optimis, & præstantissi-  
mis ingenij, quæ in ea oriuntur, quorumq; maximus nume-  
rus in hunc ingenuarum artium mercatum quotannis con-  
fluit, perspici facile potest; & natus est in celebri urbe Utino,  
copiosa, & ad omnem laudem præstantibus hominibus af-  
fluentis, quæ tot uiros in omni genere excellentes protulit, ut  
si enuntiaret omnes uelim, hodie finem facturus non sim;

H inter

ti viri grata commemoratione vos in tanto omnium dolo-  
re illam percepturi sitis delectationem, quod ipse ita vixerit,  
ita mortuus sit, vt eius rerum gestarum memoria nunquam  
intermoritura esse, eiusq; mors immortalem, & felicem ipsi  
attulisse vitam uideatur. Etenim, dum hanc vitam mortale  
vixit, tametsi floruit honoribus & abundauit ijs rebus, quæ  
summopere ab hominibus appeti consueuerunt: felix tamen  
appellari non potuit, quod ea sit huius ipsius vitæ conditio,  
vt ante obitum neminem nominari beatum merito posse re-  
ete dixisse Solon existimetur. Maxima enim, & plura homi-  
nibus mala proposita sunt; de quibus non eo animo, eoq; cō-  
filio nunc esse aliquid dicendum arbitror, quo Cyrenaicus  
Hegeſias dicitur disputasse, qui hanc miseram vitam ita de-  
fleſe solitus est, vt multi eo auditio mortem sibi ipsi conſi-  
uerint, idcircoq; illa ipſa amplius disputare à Ptolemæo Ae-  
gypti Rege prohibitus sit: sed cum uobis nec possum, nec, ut  
possum, uelim hoc tempore persuadere, hæc terrena mem-  
brorum vincula, has corporis compages, hunc corporeū car-  
cerem, in quo animi inclusi sunt, iniuſſu Dei esse infringendū  
sat habebo, si in memoriam vestram reuocauero in hac  
uita nullam felicitatis spem esse ponendam, in qua maximis,  
atq; innumerabilibus miserijs, & calamitatibus homo subie-  
ctus est, non solum propter aduersam fortunam, uerum etiā  
propter corporis morbos, atq; animi perturbationes tot, ac  
tantas, vt bene cum eis actum esse existimari debeat, qui ex  
his corporibus euolauerint. Fortuna enim multas, atq; ingen-  
tes hominibus difficultates, ac molestias obijcit; exilia, vincu-  
la, egestatem, orbitatem, contemptum, odia ad eos agitandos  
exerceat; cum q; interdum opes, honores, imperia permittat,  
est tamen adeo inconstans, ac volubilis, vt pleraq; eius bona  
in miseriam, & calamitatem conuertantur. Quid commemo-  
rem multitudinem, & varietatem morborum, qui immensam  
prorsus, atq; inexplicabilem dolendi materiam corporibus  
afferunt humanis? plurimis enim, & maxime varijs ægrotatio-  
nibus homines conflictantur; vt stranguria Epicurus, dysen-  
teria Polyænus, tabe Nicocles, aqua inter cutem Agathobu-  
lus, multiplice febre, multiplice infania, lethargo, elephantia,  
nobili illa morborum Regina Podagra, quæ Bacchi, & Vene-  
ris

inter ceteros autem produxit duo illa clarissima earum artium, quae ad Humanitatem pertinent, quasi limina, immo potius lumina, & eloquentiae flumina, immo vero orationis fulmina, Romulum Amasaeum, & Franciscum Robortellum, quorum ille in celeberrimo Bononiensi gymnasio, hic & in Bononiensi, & in Patauino principem veteris tradendae eloquentiae locum maxima sua cum laude, ac prope incredibili omnium cum admiratione obtinuit; qui viri litteratissimi ea doctrinæ documenta dederunt, ea litterarum monumenta reliquerunt, ut clariores, atque illustriores sint, quam ut aliquo orationis meæ lumine indigere videantur. Hoc tanto patriæ splendore illustratus Tiberius Decianus ne familie quidem caruit claritate, quæ inter patritias Utini familias fulget, clariusq; cum ab alijs, tum vero à Tiberij patre Io. Francisco reddita est, viro omni laude cumulato, ciue egregio, legum Doctore eximio. Cumque Tiberius ijs artibus instructus, quæ etatem puerilem ad Humanitatem informatus, annos natus quattuordecim in hoc gymnasium se contulisset, eloquentiamq; cum iuris ciuilis, ac pontificij scientia per octo annos coniunxit, atque obscurissima Theorematum in patria sua publice disputasset tanto ingenio, & doctrina, tantaq; dicendi copia, & memoria, ut omnibus esset admirationi, ac tandem in clarissimo Collegio Patauino Iuris ytriusq; Doctor declaratus esset, in patriam rediit, ut eam excellenti consilio, atque opera adiuuaret, statimq; adhiberi coepitus est ad publica munera obeunda, & præcipuas patriæ suæ dignitates administravit, deq; rebus grauissimis ad Serenissimum Venetiarum Principem legatus missus est, in quibus publicis officijs exequendis eam prudentiam, fidem, diligentiam, integratem, eloquentiam exercuit, ut omnibus ciuibus suis esset amabilis, atque adeo etiam admirabilis. O ciuem optimum, æterno præconio celebrandum. Neq; uero solum in ciuium auctoritate, & statu ciuitatis defendendo se virum eloquentissimum ostendit, verum et in priuatoru causis pertractandis: aliquod.n.ipse tempus amicorum temporibus transmisit, summaq; animi, ac corporis contentione in priuatorem periculis caste, integre, versatus est, potissimum Venetijs, ubi ad cum audiendum tanquam alterum Demosthenem,

30

nem, atque alterum Ciceronem, maximus siebat hominum cursus; ut non solum optimus ciuis Utinensis, uerum etiam optimus orator extiterit. Acceslit tertium ornametum, quod optimum quoque iudicem se praebuit. Cum n. eius præstantissima excellentia, & excellentissima præstantia omnibus nota, atque explorata esset, nemo erat ex Venetis Senatoribus, cui aliqua ciuitas gubernanda committeretur, qui eum sibi assessorum non expeteret. Quamobrem assessor fuit tum Vicetæ clarissimo viro, Laurentio Venerio, tum in hac urbe ei præstantissimo viro, qui postea factus est S.R.E.Cardinalis, Bernardo Naugero, tum Veronæ amplissimo viro, Francisco Venerio, ei, qui Venetorum principatum est consecutus: summo enim viro cum summis viris contigit uersari; qui si munus assessoris perpetuo exercere voluisse, cum unus præcesseret, præcipuas omnes Veneto Imperio subiectas ciuitates sine dubio gubernasset. Sed vir ad commune commodum, & utilitatem natus quartum decus appetebat, eamque curam habebat infixam in animo sempiternam, ut publicus iuris interpres esset, cuicunque interpretis munus in duabus potissimum rebus positum sit, in consilio dando, & in iure explicando, dici non potest, quam egregie, & admirabili utrumque præstiterit. Nam cum esset assessor Bernardo Naugero, deficiente in hoc gymnasio explicatore eius partis iuris, quæ ad criminis dicitur pertinere, huiusmodi onus Tiberius sibi honorifice impositum tam feliciter sustinuit, ut omnes iuris studiosi, qui Patauij erant, ad eum audiendum confluenter, eiusque explicationes tamquam oracula quædam audirent. Itaque tunc præclarum specimen dedit futuræ gloriæ suæ. Ex qua publici munieris functione ad exercendum Veronæ iudicium, ut Francisco Venerio gratificaretur, se contulit, ita tamen, ut ei iuris publice interpretandi locus reseruaretur; ac Verona reuersus in locum excellentiss. iuris. Hieron. Cagnoli tunc mortui ad explicationes iuris ciuilis ordinarias, & matutinas suffectus est, anno post Christum natum millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, ætatis suæ quadragesimo tertio, cum ortus esset anno millesimo quingentesimo nono. Quam interpretis dignitatem per triginta annos præclarissime gessit, & quidem cum præstantissi

H. 2 mis

dicandas Rotæ Auditor constitueretur; merito ab eo, cuius felicissimo principatu nunc fruimur, Sereniss. Venetiarum Princepe, Nicolao Pontio, summo litterarum patrono, Equitis dignitate decoratum. Quod si M. Catoni Censorio ad gloriam fuit insigne, vt tribus summis rebus ornatus existimaretur, & optimus senator, optimus orator, optimus imperator celebraetur; si P. Craffo Mutiano ad famam fuit illustre, vt quinq; bonarum rerum maxima, & præcipua habere diceretur, q; eset ditissimus, q; nobilissimus, q; eloquentiss., q; iurisconsultiss., q; Pont. Max.: cur Tiberius Decianus summis laudibus non efferatur, qui optimus ciuis, optimus orator, optimus iudex, optimus iuris interpres cognitus est? Accedit ad magna eius decora, & ornamenta, quod præter scripta quamplurima, & litterarum monumenta, quæ cum in lucem, & aspectum hominum proferentur, magnum iuris civilis studiosis afferent adiumentum, tres etiam filios procreauit se ipso dignissimos; Nicolaum, legum Doctorem excellentiss., ad regendam Vtinensem ciuitatem sèpius deputatum, grauissimis de cauiss ad Serenissimum Venetiarum Principem legatum missum: Io. Franciscum, virum ornatissimum, ad Vtinensis itidem ciuitatis rectiōnem sèpe deputatum: Roncadenum, virum optimum, atq; Oeconomicum accuratissimum; qui quidem cum parentis facem sibi prælacentem habeant ad uirtutem, præstantis quoq; ipsorum naturæ stimulis incitati domus suæ dignitatem non modo non imminuunt, sed etiam (quod inter omnes constat) quam maxime amplificant. Hac tanta celebritate famæ cum ad annum ætatis sua septuagesimum tertium peruenisset, morte quidem sua maximum sui desiderium apud omnes reliquit, ac mœrem prope incredibilem omnibus attulit: sed egregijs, atq; excellentibus uirtutibus non solum nomen suum reddidisse immortale, uerum etiam in cœlum penetrasse existimatur.

Quamobrem, quem dolorem nostra cauissa capimus, eius cauissa deponere debemus; cum præsertim in huc ipso, quod nobis contigit, malo nihil prosint lachrimæ, & squalores, nihil gemitus, & singultus, summaq; stultitia sit frustra confici mœre, ubi profici nihil possit. Mortuus certe est Tiberius Decianus, si modo mortuus dicendus est is, qui in perpetuum

mis collegis geslit; primū cum clariss. iuris. comite, & equite, M. Mantua Benauidio, quem præceptorē habuerat, digne mea quidem sententia, qui alteros viuat nonaginta tres annos ad commodum, & splendorem honestissimæ domus suæ, atq; aliquo è tempore spatio cum egregio Doctore Franc. Mantica Fori Iulij luminefulgentiss.: deinde cum summo iuris. Iacobo Menochio, qui, quamvis præstantissimus, ei semper cedens amabilem cum eo per decem annos loco secundo cō cursum pp eius dignitatē è primis aliorum gymnasiorum locis anteposuit. Principem. n. apud collegas suos locum Decianus obtinuit, præterquam apud Behavidum; ceterisq; ea demum publici decreti declarōne prælatus est, ut in gradu dignitatis nemo ei par esse posset; atq; eum se perpetuo præbuit, vt ipsum maxima semperiuuenum frequentia cum maxima attentione, atq; admirōne audiuerit, vt ipsum tamquam cœlo delapsum interpretem oēs suspexerint, denique vt ipso nullus unquam interpres extitisse gloriösior videatur; à quo prope innumerabiles doctores pp eius maximam auctoritatem, & sapientiæ, atq; eloquentiæ gloriam insignia doctrinæ suæ, accipere dignissimum iudicarunt. Quod attinet ad consulendi munus, satis constat, Patauij neminē unquam sapientius, quam eum fuisse consultum; vt eius domus haberetur huius totius ciuitatis, immo uero totius Italiæ, atq; vniuersi terrarū orbis celeberrimum oraculum, vnde Principes oēs, Duces, Reges, Imperatores, Pontifices, nedum inferiores personæ, consilium petebant. Atq; in consulendo ita eum excelluisse compertum est, vt, re ab ipso declarata, melius non quæreretur: cuius excellentiæ amplissima sunt testimonia consiliorum magna volumina ab eo edita; & testis quoq; est Illustriss. Senatus Venetus, qui cum his temporibus honestiss. continuato præmio mille, vt appellant, scutatorum, & quam dignissimo huius gym. oblati loco, quem supraordinarium vocant, sibi in iure cōsulentem diligere auebat. O virum præclarissimum, atq; oībus laudib⁹ ornatissimum; merito in alijs clarissimis gym. & potissimum Bononiensi expetitum, atq; eō etiam summis precibus inuitatum; merito à Pio IIII. Pont. Max. dignum existimatum, qui, si oblatam conditionem accipere voluisset, ad grauissimas Reip. Christianæ cauissas Romæ iudican-

tum per gloriam uiuere intelligitur. Mortuus, inquam, est: at erat mortalis: at tres, & septuaginta annos natus: at plus quam triginta annos iuris interpretationem cum summa gloria professus. Nemo n. gloriari potest in hac uita se immortalē esse. Nam ut sis nobilissimus, ut antiquissimo gente natus, ut præstantissimorum maiorum imaginibus exornatus, ut abundes diuinitis, honoribus, propinquis, amicis, omnibus rebus, quæ suauem, & iucundam uitam efficiunt, ut eloquentia ualeas, doctrina polleas, gratia splend eas, auctoritate fulgeas, prospera fortuna omnibus in rebus utarīs, ut sis præfectus, ut consul, ut dux, ut imperator, deniq; rex, deniq; regum rex: Ite tamen restat, Numa quò deuenit, & Ancus. Omnibus enim est moriendum, & tam fragilis existit, tam fluxa, tamq; caduca humanæ uitæ conditio, ut merito eam poetæ simulachro, pulueri, umbræ similem esse dixerint. Quam moriendi conditionem sapientissime animaduerterunt ueteres illi tantopere celebrati, Anaxagoras, Pericles, Xenophon, Puluillus, Cato, Metellus, alii quamplurimi, qui necessariorū suorum obitum fortissime ferendo pulcherrimum nobis exemplum reliquerunt ad mortē mortalium æquo animo tolerandam. Cum igitur Tiberius Decianus tot, tantisq; huius uitæ incommodis liberatus ad noninis immortalitatem satis diu uixerit, atq; alis innocentia, ac probitatis suæ ad globos cœlestes euolasse credatur, nullumq; remedium inueniri poscit, quo nobis restituatur; oportet nos in diuina uoluntate acquiescere, & insigne, ac præstantes eius uirtutes pro uiribus imitari, atq; interim meminisse, nos esse homines, & mortales.

Habita Patauij in Templo Carmelitarum  
VI. Id. Febr. M. D. LXXXII.



I N



## In Obitu M. MANTVAE BENAVIDII I. C.

*Antonij Riccoboni Oratio.*



ST hominum communis opinio, neminem ante hoc tempus in hac ciuitate mortuum esse, qui, cum diu uixerit, diuturniore tamen, & magis perpetua uita dignus esse existimaretur, quam Marcus Mantua Benavidius; qui tres quidem, & nonaginta uixit annos: sed tantum decus, & ornamentum gymnasio Patauino, iurisperitorum collegio, uniuersæ huic ciuitati afferebat, ut eum sempiternam uitam ducere omnes concupiscerent. Quantum autem fuit omnium studium in ciuem Patauinum præclarissimum, iurisconsultum summum, comitem, & equitem magnificentissimum: tantus luctus, ac mœror hac clarissima pompa funeris, atq; hoc nobilissimo hominum concursu est merito declaratus; tantaq; eloqua ria requiritur in eo, qui eius præstantes, atq; eximias uirtutes in hoc honestissimo loco, & in hac maxima doctorum, iuuenum studiosorum, ciuium frequentia sit explicaturus. Quam dicendi uim, & copiam, cum fatear à me longe absesse; mestissimi Aud. nihil profecto me miserius, aut laboriosius, aut afflictius singi posset, qui præclaram uoluntate uestram, ad M. Mantuam modis omnibus honorandum mirabiliter propensam mea, qui unus ex multis ad eum e-  
xor-

hominum afflat; unde ars contemplandi proficiuntur, unde ars agendi originem habet, unde tantum & natura, & doctrina lumen in M. Mantuam profluxit, quantum homini desiderare fas est. Nam, quod idem Plato memoriae mandauit, præpotentem Iouem per alios sibi subiectos deos animalia omnia ex elementis procreasse, per bonos autem dæmonas, quos recentiores Theologi Angelos nuncuparunt, ipsa animalia rebus omnibus ad vitam necessarijs instruxisse, ita ut Prometheus, qui significat superiorum dæmonum ordinem, homines illustrarit, & Epimetheus, qui inferiores dæmonas repræsentat, bellugas exornarit; hoc figmento voluit diuinus philosophus denotare nihil mea quidem sententia aliud, nisi illam Dei procreationem, quæ M. Mantuam diuino mentis lumine collustravit, ijsq; corporis viribus adornauit, ut ad extremam senectutem bene valens, atq; indolens potuerit peruenire. Neq; vero obscurum est, hunc ipsum omnium grauissimum philosophum triplicem diuinam prouidentiam cognouiſle, unam vniuersalem, alteram minus vniuersalem, tertiam singularem. Prima enim summo Deo tribuitur, qui omnia prospicit, omnia præbet, nihil ut sit toto cœlo, terra, mari, quod eius ipsius nutu non feratur, ut idem dederit, id est abstulerit M. Mantuam Deus, cui velle obſistere superuacuum, in quo nolle acquiescere, ſtultum eſt. Altera in alijs mentibus cœlestibus conſtituitur, quæ ſingula non omnia ſimil munera omnibus, ſed quædam afferre conſueuerunt; quemadmodum M. Mantuæ Saturnus præstitit admirabilem iuris Cæfarei, ac Pontificij intelligentiam, Iupiter singularē agendi virtutem, Mars animosum in disputando ardorem, Sol clarissimam opinandi in legum studio facultatem, Venus honestissimi cuiusq; desiderij motum, Mercurius facillimam iura interpretandi viam, & rationem, Luna corporis ad labores, & vigilias idonei optimam naturam. Tertia pertinet ad bonos dæmonas, qui quædam quibusdam ſubministrat, & ſedem, ac domicilium habent partim in igne, partim in aere puro, partim in aere crasso; ita ut primi conuertant intelligenti facultatem ad diuina, & humana omnia contemplanda, & præſint vita, quæ versatur in contemplando: alteri faucent irascendi facultati, & regant vitam, quæ posita eſt

I in agen-

xornandum delectus sum, infantia impediturus eſſe uidear; niſi intelligerem, tametsi animus concideret, memoria excederent omnia, prætermitterentur illa quamplurima, quæ minime obscura ſunt, quæ patent, quæ ad maximam eius laudem pertinent: ſatis tamen eſſe poſſe, ut uniuerſe dicam, omnium, qui fuerunt, qui ſunt, qui erunt in hac antiqua, ac celebri urbe, & copioſa, atq; ad omnem laudem præſtantifimis hominibus affluentι clarissimum fuiffe M. Mantuam. Hoc potest ſatis eſſe: in hoc licet concludere orationem meam. Nam, quemadmodum singularia quidem, quæ ſunt infinita, fieri non potest, ut ſcientia comprehendantur, quorum certe ratione & Socrates, & Democritus, & Anaxagoras, & Empedocles recte dixit, nihil perfecte ſciri, & ipſe Democritus affirmauit ueritatem in profundo demersam eſſe, & Arceſillas existimauit, ne illud quidem ſciri, quod ſibi exceperat Socrates; uniuerſalia uero, in quibus ſubebat Plato ſapienſia ſtudioſos conuiuescere, ad ſcientiam accōmodata ſunt: ſic ſingulas quidem M. Mantuæ laudes nulla tanta ingenij facultas, nulla tam ſingularis industria, nullum tam acre ſtudium, nulla tam accurata diligentia reperitur, quæ non dicam exornare, ſed enarrare, pro dignitate poſſit; uniuerſe uero maxima eius decora, atq; ornamenta compleati, cuiq; uel infantifimo licet; ut mihi quoque ſatis eſſe existimandum ſit, ſi ſummatim dixerim, cum plurimi in hac urbe omnibus floruerint temporibus omni uirtute præſantes, M. Mantuam omnium gloriam ſuperaffe: qui & ad patriæ ſuę claritatem tuendam, atq; augendam natus eſſe diuino quodam confilio uidetur, & cum ſatis diu uixerit natura, ſatis diu gloria, ſatis diu quoque huic gymnasio, collegio, ciuitati, diuinitus in cœlum penetrauit; ut, quam nobis notum, atq; exploratum eſſe debet, diuina prouidentia omnia fieri, tam recreari, ac refici in communi omnium mœrore nos deceat. Is enim, qui hanc rerum uniuerſitatem architectatus, & fabricatus eſt, Deus, cum omnia intelligat, & omnia uideat, omnia etiam procurat, & moderatur, omnia regit, & gubernat; neq; ſolum per ſecundas cauſas globos cœleſtes impellit, quorum concurſionem modo Fati, modo Fortunæ nomine Plato ſignificauit: uerum etiam animos hominum

cōtentus esse statueram: sed cum vos videam tam benigno , & attento animo ea omnia , quæ dico, audire, tametsi nihil afferre possum, quod vobis nouum sit, aut antea inauditū : tamen in tam iucunda vobis clarissimi Doctoris commemoratione non desinam amplissimum singularium, & singularium eius laudum campum aliquantis per ingredi, deq; ipsius rebus gestis prope innumerabilibus trēs præcipuas attingere. Non enim mihi consilium accidit antiquissimam , ac præstantissimam urbem Patauium eius patriam ne gentium quidem principi Romæ originis vetustate, & ciuium præstantia concedentem in hac temporis angustia oratione celebrare, cuius nobilitas, & claritas ita à veteribus scriptoribus expressa est, ita suorum scriptorum excellentia, iurisconsultorum, philosophorum, medicorum, oratorum, poetarum, historicorum, omnis generis litteratorum hominum gloria, conseruata, atque adeo etiam amplificata, vt nullis testimonijs, nullisq; laudibus egere amplius videatur ; quam multis rebus admirabilem esse, cœli, fontium, fluminumq; in omnes partes nauigabilium amoenitatem, atque opportunitatem, agrorum vbertatem, collium amoenissimorum varietate, maris vicinitate , nemo est, qui hic adsit, qui non optime nouerit ; vt plurimis ijs, quæ de hac generosissima urbe dicī possent , prætermisis illud dicere satis sit, natum esse M. Mantuam in urbe Patauio, in qua præstantissimi, & altissima quadam mente prædicti homines nasci, atque honestissime educari consueuerunt; & in ea maiores omnes dignitates singulari sapientia gessisse ; ac pro ea etiam honestissimo legationis munere functum esse tunc, cum Fráncisco Donato Serenissimo Venetiarū Principi nomine publico Princeps dignitatem admirabili eloquentia est gratulatus. Nec statui in nobili eius familia exornanda, & nobilibus viris, qui in ea floruerunt, commemorandis versari; non solum, ne sim longior, quām locus, & ratio temporis postuleat : verum etiā ne propriæ eius laudes, quæ plurimæ, ac innumerabiles occurront, mihi deesse ad dicendum videantur. Quamobrem, vt cœperam dicere, tria potissimum in memoriam vestram reuoco, & uobis consideranda, atq; admiranda propono; prium quæ munera sane egregia, & præclara, in hoc celeber-

in agendo: tertij moueant vim concupiscendi , & dirigant homines ad honestas voluptates. Primi igitur boni dæmones M. Mantuam aptissimum ad omnem iuris diuinij, & humani contemplationem : alteri vehementissimum in utroq; iure disputatorem: tertij minime auarum iurisconsultū rediderunt. Itaq; fuit ipse omnium , qui in hac vrbe vnquam fuerunt, aut futuri sunt , doctorum diuinis muneribus ornatisimus. Neque enim tam admirabilis, ac diuina ingenij præstantia aliunde emanasse , nisi à Deo videtur ; qui cum omnino esse communi opinione omnibus hominibus innotata, & in animis hominum quasi exculta comperiatur; quæ admodum hanc mundi fabricam confecit, quod nobis persuadet Sol, Luna, sydera omnia, cœli, & signorum ortus, visciditudines rerum, atq; ordines, aliaq; admirabilia, quæ non nisi præpotenti Dei manu confici potuisse putandum est : sic paruum mundum, qui vocatur homo, ita fabricauit, ut in eo diuina multa appareant ; sicut etiam in huius præcelentissimi viri animo diuinitus fuisse tum memoria, & ea infinita rerum innumerabilium, quam propriam esse iurisconsultorum doctissimi homines censuerunt, tum in difficillimis questionibus iuruentio, atq; excogitatio ueritatis, tum grauis, plenaq; legum doctrina, tum profluens quædam eloctio, abundans idoneis uerbis, accommodatisq; sententijs, tum alia quāmplurima, quæ non sine cœlesti aliquo mentis instinctu, nec sine Deo existere potuerunt. Quamobrem, cū falsissimum sit illud, quod nonnulli impij philosophi existimarent, eum, qui posuit, ac sciat, nolle rerum vniuersitatē gubernare; eumq; , qui facere etiam res minimas grauiatus non sit, earū negligere gubernationē, & cui facilis fuit rerum procreatio, ei difficilem esse procuronem; quiq; oīum accuratissimus sit, eum tardiorē esse ipsa natura, ipsaq; arte, quæ res omnes tum magnas, tum paruas curant, ac partium uenustatem ad totius pulchritudinem disponunt : profecto bona omnia diuinæ prouidentiæ accepta sunt referenda, ac pro comperto habendum, hunc perillustrem, ac percelebre iurisconsultum sine diuino ingenio, & sine diuina impulsione tam mirabiliter excellere in præclaro legum studio non potuisse. Qua maximis viris exornatione vniuersitatem habita cōtentus.

tentione, admiratione, Illustrissimi Senatus Veneti decreto, in hoc præclarissimo gymnasio interpretem fuisse; primum Institutionum Iustiniani Imperatoris cum eiusdem munieris collega præstantissimo Nicolao Janotio Patauino, eo, quem Serenissimus Vrbini Dux consiliarium, & religiosissimus Foroliensis Episcopus parentem habuit: deinde sexti voluminis iuris Canonici cum Ludouico Gometio Hispano, eo, qui Romæ fuit postea, ut appellant, Rotæ Auditor, cuiusq; monumenta extant litterarum præclarissima: præterea iuris ciuilis cum Vincenio Dallochio Bononiensi, & Aloysio Descaltio Patauino, egregijs iurisconsultis: inde iuris canonici cum Baldassare Cardutio Florentino, eoq; ex hac vrbe profecto, cum Bernardino Claricino Bononiensi, vtroq; doctore eximio: rursus iuris ciuilis cum Franc. Curtio Papiensi, viro excellentiss. cum Io. Antonio Rubeo Alexadrino, legum explicatore clarissimo, cum Hieron. Cagnolo Vercellensi, interprete subtilissimo, cum Tiberio Deciano Utinensi, summo legum magistro, ac prope deo: rursus iuris canonici stipendij loco habens octingentos, ut uocant, Florenos, id est maius omnino præmium, quām alij unquam huius gymnasij Doctores in iure canonico interpretando habuisse feruntur. Quo temporis spatio, ut omittam maximum eorum numerum, qui ab eo Doctoris insignia in celeberrimo iurisconsultorum collegio accipere voluerunt; ut taceam admirabilem eorum frequentiam, qui eum tanq; alterum Apollinem de rebus grauisimis consuluerunt; ingentes diuitias honestissime comparauit, ut sexaginta annis plusquām sexaginta millia scutatorum, dico iterum, scutatorum plusquām sexaginta millia lucratus esse comperiatur. O singularem hominis industriam, unde magnificentissimæ ades, unde locupletissimum museum, antiquis signis, & operibus ex ipsa antiquitate petitis, ac rebus preciosis refertissimum, unde horti amoenissimi, unde egregia in pauperes liberalitas, quibus eum fuisse munificentissimum etiam parietes huius templi ab eo propter uicinitatem frequentati testari uidentur, unde alia decora, & ornamenta profici sci potuerunt. Ite uos, qui philosophian. iuris studio ea contentione anteponitis, ut iurisconsultos à philosophis disiungatis, quia si inter

rimo gymnasio sexaginta annorum spatio obiuerit: deinde vero quibus dignitatibus propter singularem animi, atq; ingenii sui præstantiam ornatus fuerit: postremo quautopere esse utilis legum studiosis multorum etiam librorum, & voluminum conscriptione, atq; editione studuerit, & conatus sit; ex quibus apparere facillime potest, eum mirabiliter floruisse, in summo honore vixisse, sibi nominis immortalitatem quotidianis laboribus, atq; assiduis vigilijs comparasse, maxime dignum fuisse, qui maximarum, & clarissimarum virtutū splendore in cœlum euolaret. Etenim parente natus Petro Mantua, Medico celebri, & viro probo, post earum artium studium, quæ ad Humanitatem pertinent, quibus semper est mirabiliter delectatus, cum ad utrumq; ius Cæsareum, & Pontificium animum appulisset, breui temporis spatio in eo ita excellere existimatus est, ut facillimum ei fuerit, non solum Doctoris insignia consequi ætate annorum viii, & viginti, & in iuris consultorum collegium cooptari, ingenti applausu, & lætitia bonorum; non solum cum magna sua laude adhiberi ad criminum cauñas pertractandas, & defendendas, in quibus excellentem gloriam adeptus est; eamq; eloquentiæ adhibuit, ut non nullis quoq; ad summum supplicium damnatis pepererit vita incolumentem: verum etiam ad dignitatem extolli ius ipsum publice interpretandi. Hic non dicā, quos studiosorum concursus habuerit ita, ut referta eius schola auditoribus facile aliarum scholarum, & aliorum doctorum eadem hora profitentium subsellia nudarentur; quantas admirationes, quantos applausus, quanta suarum laudum præconia, cum leges interpretaretur, excitari; quos progressus, & cursus fecerit ad celebrem famam, cum eum præceptorem habere sexaginta annorum spatio sibi gloriōsum duxerint ex omnibus gentibus, & nationibus tot legum studiosi, tot viri illustres, tot Episcopi, tot Cardinales, in quibus et fuit is, qui postea factus est S.R.E. Illustrissimus Cardinalis, Tridentinus, & Illustrissimus Cardinalis Carafa, & alij clarissimis dignitatibus præfulgentes, quos omnes enumerare, & nominare longissimum eslet. Tantum non tacebo singulari omnium iuris utriusq; studiosorum, qui eum audire potuerint, utilitate, ac prope incredibili auditorum concursu, attentione,

etum, quem supraordinatum nominant, cum facultate uel profitendi, uel non profitendi arbitrio suo, nouo inter Patatinos ciues exemplo, est consecutus; cumq; ex diurno sexaginta annorum, quibus professus est, spatio ter comes palatinus haberi posset (singulos enim viginti annos ius tribuere Comitis Palatini notum est) tamen etiam comes, & eques amplissimis priuilegijs à summis Principibus est factus, & declaratus; primum à Carolo V. maximo Imperatore anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo quinto: deinde à Ferdinando, maximo item Imperatore anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo: denique à Pio III. max. Pont. anno millesimo quingent. sexagesimo quarto; tantamq; auctoritatem adeptus est, vt multi et principes eū viserentur dubitarint; & eo ipso anno, quem sanctū appellant, cū in extrema ætate non sine ingenti periculo Roman proficisci posse uideretur, Gregorius xij. Pontifex summus diuinum beneficium ei sponte impertitus sit, ita ut ipsum haberet, perinde ac si ipse Romæ adesse potuisset. O virum uel summis principibus gratiosissimum, uere dignum, qui sexies comes, & eques, ter ex iure, ter uero etiam ex Principū facto haberetur. Taceo quām plurimos illos, qui Doctoris in iure canonico ornamenta priuatum ab eo, tamquām ab il lustrisimo Comite, & magnificentissimo Equite desumpserunt. Taceo alia consulto, quod certos mihi terminos prescripsicerim, quodq; cum de uarijs interpretandi muneribus, deq; uarijs dignitatibus M. Mantua iam dixerim, tertium, quod mihi proposueram, nunc breviter complecti debeā, ut uobis strictim exponam, quantos labores, quantasq; uir tunquam defessus uigilias suscepere in multis operibus cōficiendis, & libris, ac uoluminibus conscribendis. Quorum editorum, & edendorum numerus, & magnitudo ea est, ut eum publice occupatum potuisse tam multa scribere uix verisimile esse uideatur. Quod enim de M. Terentio Varrone dictum est, idem dici de M. Mantua Benaidio potest, cum tam multa legisse, ut ei uacasse aliquid scribere, mirum sit; eum tam multa scripsisse, quām multa uix quenquam potuisse legere, credendum sit. Et quisquām erit, qui honestissimum tot, tantorumq; operum conatum, ac flagrantissimum

iuuan-

si inter omnes facultates libero homine dignas inenodabile fœdus non sit, ac legum disciplina non habeatur eius philosophiæ, quæ in agendo uersatur, pars nobilissima, &, ut Aristotelis uoce utar, architectonica; ite, inquam, & philosophorum lucrum cum iuris consultorum honestissimo lucro conferte; ac tandem aliquando iuris magnificentia cum philosophiæ inopia comparata definite nobis (meam enim simul caussam ago) maledice re; nec propter leguleios aliquos, propter corruptam in aliquibus legum disciplinam, propter barbariem à recentioribus in iuris prudentiam, quemadmodum etiam in philosophiæ studium inuestigam, diuinam legū maiestatem lædere nolitis. Partis igitur excellenti doctrina summis M. Mantua opibus inter alia multa, quæ magnificenter confecit, suum, ut modo dicebam, musēum mirabiliter adornauit, ita ut etiam in summis principibus prope in credibilem eius emendi excitarit cupiditatem, & præcipue in Galliæ Rege Christianissimo, cuius nomine Gallis quibusdam nobilissimis ipsum emere cupientibus, etiam me præsente, audiente, & rem uerbis illorum procurante, non se uenditurum eiusmodi musēum tanto Regi, sed donaturū professus est, quod negotium ut cum præstanti eius dignitate tractatum: sic illis Regis sui mandata transgredi recusantibus non sine magna gratiarum actione dissolutum est. Hac tanta celebritate famæ nullum erat publicum gymnasium, nulla gens, & natio, quæ eum summopere non expeteret; immo & ipsa gentium, ac nationum omnium princeps Roma ipsum ad dignitates suas inuitauit. Neque enim solum nobilissimi Bononienses honestissima, atque amplissima præmia ei proposuerunt, ut in suum clarissimum gymnasium eum adducerent; non solum magnus Rex Lusitanæ eundem accersendum curauit: verum etiam Paullus iij. Pontifex Maximus, & sapientissimus inter Rotæ auditores habere concipiuit; qui tamen, ut gratissimum animum Venetis principibus, à quibus fuerat ornatus, ostenderet, patriamq; suam, qua nihil unquam chartius habuit, deserere ne uidetur, huius gymnasij splendorem ceteris dignitatibus, & commodis, quamuis maximis, & plurimis, anteposuit. In quo gymnasio tandem, tamquām miles emeritus, interpretis locum,

Rianissime mortuis sit, ita ut in cælum sine dubio ascendis  
se existimetur, quod eius clarissimum nomen nulla vñquam  
obscuratura sit obliuio, quod ipsius laudes prædicent omnes,  
ipsum omnes magna veneratione colant; ipsi tamquam cui  
dam deo quasi sarræ faciant, & animos consecrent. Id quod  
ego quoq; cum ceteris facio, atq; ita facio, vt cum clara e-

tiam diuini numinis, quod in hoc augustissimo tem-

plo sanctissime veneramur, contestatione

pollicear, me semper inter eos, qui

M. Mantua Benaudij, ci-

uis Patauini osum

maximi, iu-

rifcon-

sulti omnium

clarissimi, comitis, &

equitis omnium illustrissimi, & ma-

gnificentissimi, laudes celebra-

bunt, appetitum esse

principatum.

Habita Patauji in Templo Eremitarum Pridie  
Non. Apr. M. D. LXXXII.



K IN

Iuuandi præclara litterarum studia desiderium reprehende-  
re audeat, & non potius magnis laudibus efferat? Quid pro-  
feram variorum operū inscriptiones, uarios tum in ius Cæ-  
fareum, tum in Pontificium commentarios, Collectanea, Co-  
filia, Scholia, Apophthegniata, Problemata, Dialogos, Enchi-  
ridia, Epitomas, Centurias, Orationes, Epistolas, & id genus  
alia quā plurima, partim edita, partim edenda, quā vix enu-  
merari, nedum singillatim exornari possunt? Quamobrem  
Benaudidum propter immortales animi virtutes immortali  
corpore dignum fuisse, constans hominum est opinio: sed  
id, Aud. etiam si in quibusdam esse optabile arbitramur, hu-  
mana tamen conditio non patitur. Natus est enim homo,  
præclarum animal, plenum rationis, plenum consilij, qui ce-  
teris omnibus animantibus imperaret, omnes terræ partes  
perlustraret, omnia maria nauigaret, innumerabiles rerum  
formas, quā in his elementis oriuntur, cognosceret, in cœ-  
lum usq; cogitatione, & contemplatione penetraret: ea ta-  
men conditione, ea lege, vt moreretur. Quod, si in hac uita  
immortales essemus, quid nobis miserius, ac calamitosius  
fingi posset, quos perpetui huius ipsius vitæ fluctus, & turbati-  
nes agitarent, continui animorum errores, immo terrores,  
continuae perturbationes, immo euersiones opprimerent, af-  
fidua mala, & incommoda conflectarent? At erat Benaudidius  
huius ciuitatis splendor, quo extincto non possunt omnes  
non valde dolere. Laudo Aud. laudo hanc uestram in ui-  
rum clarissimum animorum propensionem, vel potius pie-  
tatem; neq; hunc communem mœorem ullo modo impro-  
bo; quod non ferrei, non faxei, non ex queru, non ex fili-  
ce nati simus: sed illud unum contendeo, in diuina voluntate  
esse acquiescendum; dolorem nostrum immortali huius  
uiri gloria leniendum, qui satis diu publicum interpretandi  
munus obiuit, satis diu huius vitæ honoribus perfriu visus  
est, satis diu in litterarum monumentis componendis labo-  
rauit, & vigilauit, vt nominis immortalitatem compararet;  
dolore deposito egregias eius virtutes imitandas; ipsius me-  
moriam benevolentia colendam sempiterna; eiusdem pro-  
pinquos consolandos, quod ipse satis multos annos vixerit,  
qui fuerunt, ut initio dicebam, tres, & nonaginta, quod chri-  
stia-

uerso:animiq; nostri conuertendi ad vetus illud Athenarum institutum, vt virtute præstantibus viris non solum rebus , sed etiam verbis in funere satisfiat : præclarisq; actionibus præclarum laborum præmium tribuendum, ut in bene morata, & bene instituta decet ciuitate, propterea quod honesta laus non solum illis, quibus tribuitur, ad gloriam illustris est, ut ipsorum memoria etiam post mortem excolatur, rerum etiam superstitionibus omnibus ad honestas actiones , & laudabilem imitationem stimulos quasi quosdam affert, ac esse solet uirtutis fax, siue cos, ad eam siue inflammmandam, siue exacuendam. Quod institutum in alijs honestissimis ciuitatibus retentum, & in hac generosissima, omnisq; uirtutis æmula, atq; imitatrice perpetuo custoditum , merito debuit obseruari in obitu huius præcellentissimi uiri, ut in hoc eius uirtutibus congruentissimo funere, præter hunc maximum doctorum, studiosorum iuuenium , ciuium Patauinarum, omnium generum, atq; ordinum concursum , præter hunc funebrem, & lugubrem apparatum, præter hunc communis mœroris publice datam significationem, cuius decori, atq; ornamento rebus alijs abunde satisfactum esset, eidē oratione satisficeret. Id quod cum mihi mandatum sit, cūq; intelligam me in eo argumento uersari oportere, quod omnem superat laudis excellentiam , uerstra benignitate confido, benignissimi Aud. uos in hoc amplissimo rerum dicendarum campo nihil à me amplius quidquam, quam quod in genij, atq; industria meæ mediocritas ferre queat, esse desi deraturos. Neque uero expectetis, dum plura recenseam de hac urbe eius patria nobilissima tantopere, & tam sæpe à me non solum ex antiquissima origine Troiana , uerum etiam ex florentissimo gymnasio, ex clarissimis collegijs, ex præstantissimis ciuibus , alijsq; rebus quamplurimis celebrata. Nec multa dicenda sunt de nobili Triuianorum familia; in qua plurimi semper maxima virtute præstantes floruerunt; atq; inter ceteros maxime illustris fuit Nicolaus Triuianus, summus I. C. & Episcopus Cenetenlis omni reuerentia, atq; obseruantia dignissimus, qui posteaquam annos viginti maxima sua cum laude, ac prope incredibili eorum, quibus sanctissime præterat , cum utilitate Episcopatum administravit,

K 2 renun-



In Obitu  
BERNARDINI  
TRIVISANI,  
PHILOSOPHI,  
ac Medici,  
*Antonij Riccoboni Oratio .*



V M mortem Bernardini Trivisani, præstantissimi Philosophi, ac Medici, mirum in modum omnes lugeat & ob grauissimum, quod ex ea nobis accidit, malum nemo nostrum profus reperiatur quin ualde mœreat, confectaq; ciuitas dolore sit, squaleat collegium, afflietetur gymnasium Patauinum, ex omnibus deniq; gentibus, & nationibus lessissimi iuvenes, qui ad hunc celeberrimum optimarum artium mercatum confluxerunt, tam beneficium, tam benignū, tam præstantē doctorem desiderent: laudo, laudo vos, Aud. quod gratissimis animis prosequamini nomen clarissimi viri: sed, quidquid rerum externarum nobis vel accedit, vel dece dit, illud firme seruandum , Ne quid nimis, vt nec nimis latemur prospero rerum successu , nec nimis doleamus aduerso:

renuntiata sacra dignitate Richardi fratris sui patrueis Equi  
ris filio , eximio Iurisconsulto , cui Petri nomen fuit, anno  
Christi nonagesimo octauo supra millesimum , & quadrin-  
gentesimum, morte sua admirabile sui desiderium reliquit.  
Neque vero parum claritatis habuit Marcus eiusdem Richar-  
di filius, Doct̄or præcellentissimus , is , qui cum alijs egrē-  
gijz laudibus fuerit ornatissimus, in eo tamen fuit præcipue  
laudandus, quod tot præclara ingeniorum, atq; animorum  
lumina ediderit; familiamq; suam reddiderit veluti amplissi-  
mum omnis doct̄rinæ, omnisq; probitatis seminarium. Nā,  
vt alios multos prætermittam huius familiæ præstantes  
heros, in quibus etiam nunc splendet Benedictus, Eques ma-  
gnificentissimus, & altissima mente præditus: ex ipso Marco  
septem orti sunt præstantissimi viri , atq; ex his quinq; do-  
ct̄ores præcellentissimi . Primum Petrus , maximus iuriscon-  
sultus, orator disertissimus , legationis munere pro hac cla-  
rissima ciuitate quam sepiissime functus , inter sapientes ad  
Patauij utilia Deputatos cum maxima sua laude persæpe uer-  
satus, pater iuuenum egregiis animi bonis, & multis laudib⁹  
ornatissimorum, tum Marci iam Doct̄oris excellentis, atq; in  
Justiniani Institutionib⁹ publice explicādis excellenter se ge-  
rentis, q; aui nomen, & virtutes mirabiliter repræsentant: tum  
Nicolai, admirabilem cursum, atq; progressionem facientis  
ad Medicinæ excellentiam, ut magnus Medicus futurus esse  
uideatur: tum Roberti uere generoso animo præstantis. Alter  
Franciscus, uir innocentissimus, ac probissimus. Tertius  
is, cuius exequias nūc celebramus, Bernardinus, egregius phi-  
losophus, atq; eximius Medicus. Quartus Richardus , iure-  
consultus clarissimus , qui quidem in compluribus Venetæ  
Reip. urbibus maiora magna cum laude iudicia exercuit,  
Bergamo, Ciuidali Beluniano, Brixia, Crema, iterum Ciuida-  
h Beluniano, Vtino, iterum Brixia , unde nunc non minori  
certe gloria magnis uirtutibus parta, quam dolore ex morte  
clarissimi fratris concepto reuersus est. Quintus Vincētius  
presbyter incorruptis moribus, & bonitate clarissimus. Sex-  
tus Philippus I. V. Doct̄or inter Reuerendos Patres Iesuitas  
omnis probitatis, modestiæ , integritatis , prudentiæ speci-  
men, & exemplar. Septimus Triuisanus, philosophiaæ, ac Me-  
dicinæ

39

dicinæ Doct̄or præclarus, amabili prorsus ingenuitate, ac dō  
ctrina exornatus. Constat igitur Triuisanum genus eruditio-  
ne, ac probitate fertilissimum esse; in quo insigniter enuit  
is , cuius excellens præstantia meam nunc ad se trahit ora-  
tionem. Ac, quemadmodum quidem ad eum exornandum  
non omnes patriæ laudes , nec omnia Triuisanorum enco-  
mia in hac temporis angustia mihi colligenda existimauit:  
sic ne omnes quidem eius res gestas persequar , ne ipse eō  
redigar, unde egredi nequeam: sed unam, atq; alteram attin-  
gam, ex cuius nihilominus amplitudine facillime eius ampli-  
tudo appareat. Sat enim habebo commemorare, ipsum fuis-  
se Medicæ facultatis Interpretem præclarissimum, ac Medi-  
cum sine dubio præcellentissimum , ad hominum commo-  
da, atq; utilitates diuinitus natum , ita ut eo nihil esset non  
solum doct̄ius, atq; eruditius, uerum etiam diligentius, labo-  
riosius, exercitatius. Egregie. Ut enim quisque uirtute præ-  
stantissimus est : ita maximis in laboribus, ac uigilijs uersari  
confuevit . Nam Deus, quam præstantibus uiris dederit  
præstantem uirtutem, desidere otiosam non patitur ; idcir-  
coq; ei offert, quibus se exerceat, occasiones ; quosq; magis  
amat, & chariores habet, eos magis omni laborum, ac uigi-  
liarū genere in hac mortali uita exercet , ut habeat, quod  
post ipsorum mortem in eis remuneretur . Nemini autem  
est dubitadum, quod doct̄issimi homines optime iudicarūt,  
omnibus ijs, quorum diligentia opera genus humanum fue-  
rit conseruat, adiutum, auctum , in cœlum aditum esse,  
ubi sempiterna beatitudine perfruantur : propterea quod  
nihil est illi Principi Deo, qui cœlum , terram, mariaq; &  
quidquid in eis continetur, regit, atq; gubernat , quod qui-  
dem inter homines fieri acceptius uideatur, quam ut homi-  
num commoda procurentur . Ac inter ceteros quidem, qui  
in hominum genus benefici esse compriuntur , præcipui  
semper fuerunt excellentissimi medici. Neque uero loquor  
de Medicis Medicorum nomine parum dignis : sed de illis  
prope diuinis, omniq; laude ornatissimis , quibus hæc ciui-  
tas fuit semper affluentissima, Paternis, Mercurialibus, Capi-  
tacceis, aliisq; huius ordinis Clarissimis, in quorum insigni  
numero maximie floruisse Bernardinum Triuisanum sati-  
constat.

terna non corrumpant, quæ vera est sanitas corporis: quod uero attinet ad animi sanitatem, neminem existimem diuitem, nisi sapientem; tantumq; auri habeam, quantum satis sit homini temperanti. Hanc igitur præclaram scientiam suis ipsius studijs tamquam finem proponens, ad eam sibi facilium aditum paravit per Dialecticæ, ac Philosophiæ cognitionem; tantumq; profecit, vt annos natus vix octodecim, anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, nondum doctoris insignia consecutus, propter summum ingenium, ac singularem industriam suam dignus habitus sit, qui in vrbe Salerno Logicam facultatem publice explicaret; quod ipse munus cum maxima sua laude, atq; admirabilis studio sæ iuuentutis concursu aliquandiu obiuit. Postea uero in hac nobilissima vrbe patria sua Philosophiæ, ac Medicinæ Doctor summo clarissimi Collegij consensu, atq; ingenti oīum applausu anno quadragesimo septimo supra millesimum, & quingentesimum est declaratus. Paulog; post Logicæ in hoc florentiss. Gymn. explicandæ publico decreto præpositus; in quo quidem ita se gesit, vt in nemine vnquam maius ingenij acumen, Dialecticorū propriū, maiusq; animi lumen apparuerit. Deinceps p p maximam excellētiā suam factus, ut appellant, simplicium medicamentorum Interpres, magna commendatus doctrina, non sola herbarū experientia, & plantarum nomenclatione, etiam hortulanis, & nonnullis Cyclis communi. Inde electus Medicinæ Theoricæ extraordinarius explicator; quem quidem locum duodecim annos cum ingenti nominis sui prædicatione obtinuit. Postremo delectus Medicinæ Theoricæ ordinarius expluator, qui ad studiosorum utilitates, & commoda cum Bernardino Paterno eorum, qui Galeni doctrinam profitentur coryphæo concurreret, quemadmodum non sine magna doctrinæ, benignitatisq; in omnes studiosos laude diu fecit. O virum præstantissimum, ad splendorem, & dignitatem natum. Mitto eum in ornatissima Eleuatorum Academia, quæ Patauij floruit, cum clarissimo Doctore, & magnificentissimo Equite, Sperone Speronio inter nostrorum temporū litteratos lumine fulgentissimo, cum Bernardino Tomitano, viro exquisitæ litteraturæ, cum alijs immortalitati ingenijs, confecra-

constat. Neque enim pessimum illorum factum secutus est qui paucis quibuldam cognitis præceptionibus, & remediorum, ut ipsi appellant, receptionibus, quattuor, uel sex mentium spatio, uix scientijs de limine salutatis, se Medicos esse egregios profitentur, & sine ulla Dialecticæ, ac Philosophiæ cognitione, bonarumq; litterarum notitia se tamquam bobos Medicos uendant: sed in præclaris litterarum studijs diu, multumq; uersatus mirabilem cursum, atq; progressio nem fecit ad sapientiæ excellentiam. Cum autem duplex sit sapientia, una uniuersalis, quæ res tum diuinæ, tum humanae cognoscit: altera singularis, quæ est summa alicuius artis, & facultatis cognitionis in omnibus quidem Sapientiæ partibus, ac omni doctrinæ genere Bernardinus Triuianus ex celluit: sed præcipue in Medica scientia; quam quidem Dei, & naturæ administratam esse, doctissimi homines tradiderūt; si quidem sanitatis auctorem Deum, Dei instrumentum naturam, utriusque ministrum Medicum appellarent. Cuius quidem scientiæ præstantia, cum ex ijs, qui cam professi sunt, satis intelligi potest, etiam Regibus, etiam, ut Theologii loquuntur, Archangelis, etiam diuinitate quadam præditis uiris, quibus diuinos honores esse habitos compertum est: tum uero ex præstantia finis perspicitur, quem ipsa propositum habet, quo nihil gratius, nihil acceptius, nihil optabilius humano generi à Deo immortali dari potuisse existimat. Quamobrem recte Pyrrhus Epirotarum Rex, cum in templis Deos coleret, non amplitudinem Regni, non uitioriam de hostibus, non diuinitas, non alia huiusmodi, quæ alij optare consueuerunt, sed solum sanitatem ab eis precebat, qua bene constituta sperabat fore, ut cetera omnia si bi prospere possent, atq; feliciter euenire. Quò respexisse præclarum Socratis uotum uidetur in Phœdro Platonis in hanc sententiam conceptum; Amice Pan, ceteriq; indigetes Di, datote mihi, vt intus pulcher efficiar; &, quæcumque extrinsecus habeo, interna sint amica: solum sapientem diuitem esse reār; tantumq; mihi auri sit, quantum nec ferre, nec ducere queat quisquam, nisi vir temperans. Id est, ut nobis sic liceat interpretari, Concedat mihi diuina Maiestas, vt interna sint sanæ; quæcumque autem extrinsecus sunt, interna

cōsideratis egrēgiām operām nauasse, dum in ea Mathe-  
mati-  
cas disciplinas acutissime interpretaretur. Mitto eum præter  
plūrimas Principū, Baronū, Comitū, omnis generis ho-  
minū, excellentem eius operām expertentium curationes,  
adhibitum quoque fuisse Medicū ordinariū ad curan-  
das multas huius vrbis vniuersitates, & monasteria, ut Di.  
Iustinæ, Di. Petri, Beatæ Helena, Misericordiæ, Di. Mathiæ,  
Di. Matthiæ, Di. Sophiæ, Di. Bernardini, Di. Antonij Viē-  
nensis, Di. Danielis, Domus Dei, & ad vestram etiam ipsa-  
rum curationem, Di. Stephani Virgines Sacratissimæ, quæ  
quidem eius præstantiam, & excellentiam tam sāpe cum  
maximo vestro commodo, atq; adiumento expertæ fuistis.  
Dicite igitur vos, quæ optimum, & amplissimum de ipso  
testimonium ferre potestis, quantum laborem, quantam af-  
fiduitatem, quantam diligentiam, quantam fidem, constan-  
tiam, doctrinam, studium, ac prope diuinitatem ad curan-  
dūm adhibere vir præstantissimus solitus sit, hancq; gratorū  
animorum significationem date ut Medici optime de uobis  
meriti, tamquam parentis ueltri, memoriam uerissimis,  
ac nobilissimis ueltris uocibus sempiternam reddatis. Mit-  
to eius integratēm, probitatēm, mansuetudinēm, affabili-  
tatem, innocentissimos, optimos, suauissimos mores. Mitto  
eius præclarūm in diligendo genērō iudicium, Hercule Sa-  
xonia, Philosophiæ, ac Medicinæ Doctore præcellentissimo,  
qui quidem ea doctrinæ in Clarissimo huius vrbis gymna-  
sio, & generosissimæ huius ciuitatis curatione documenta  
dedit, ut ad quantumuis magna explicandæ Medicinæ mu-  
nera, & quantumuis magnas, ac pericolosas hominū cura-  
tiones adhiberi merito posse uideatur. Mitto alia eius deco-  
ra, & ornamenta longe clariora, quam ut ullo indigeant lu-  
mine orationis; & idcirco mitto, quia si omnia, quæcunque  
nunc mihi in mentē ueniunt, exprimere uerbis uellem, dies,  
uox, latera me deficerent. Quamobrem uela complicabo o-  
rationis meæ, illud unum addens, si hæc nostra, quæ dicitur  
uita, uera uita est, Bernardinum Triuianum dignissimum  
fuisse, qui diutius uiueret; si uero hæc ipsa uita tot miserijs,  
& calamitatibus oppressa, tamquam uentis aduersissimis, &  
fluctibus uehementissimis agitata potius mors est, atq; illi-

si,

41

ip̄i, qui mortui uidentur, uere uiuunt, cum ex his membro-  
rum uinculis, & corporum compagibus in cœlum euola-  
runt; melius profecto cum eo esse actum, qui, cum omnis  
integritatis, innocentiae, pietatis, modestiae, probitatis, uirtu-  
tis cultor fuerit, & sexaginta annos Christianissime uixerit,  
ac pridie Natalis sui (hæsterius enim dies fuit Natalis eius)  
Christianissime mortuus sit, ad sydera, ut constanter nobis  
persuadere debemus, penetrauit; receptusq; est in cœtum  
beatorum, ubi cœlestis fructum beatitudinis percipiat sem-  
piternum. Quamobrem eius quidem causa dolendum non  
est, cui tantum boni euenisce existimamus: sed nostra fortas  
se causa dolor habendus, qui tam excellenti bono priuati  
sumus, & hanc totam ciuitatem eius obitu mœstam, totum  
Philosophorum, & Medicorum Collegium afflictum, totum  
Patauiniū Gymnasium mœrore squalidum, omnesq; in  
primis eius amantissimos, studiosissimos, obseruantissimos  
audidores dolentes, & conquerentes videmus, quod clarissi-  
mo viro, tamquam suorum commodorum, atq; ornamen-  
torum parente, tam cito, ut ipsi putant, & dicitant, carere  
coacti sint. Verumtamen, mœstissimi Aud. cum inani mœ-  
iore, nihilq; proficiente confici diutius non debeamus; ve-  
hementem dolorem temperemus, præstātem virtute uirum  
collaudemus, atq; adeo, quantum possumus imitemur, mœ-  
stissimos eius fratres, ac fratris filios cum mœstissima filia,  
& genere consolemur, quod lumen quidem splendidissimum  
ip̄is extinctum sit, sed cuius nomen memoria hominum vi-  
gebit sempiterna, sed cuius animus in cœlesti beatitudine per-  
petuo reuicebit.

Habita Patauji in Templo Di. Stephani. XV. Kal.  
Aprilis. M. D. LXXXIII.



L IN



In Obitu  
I O S E P H I  
M O L E T I I  
M A T H E M A T I C I.

*ANTONII RICCOPONI*

Oratio



EMINEM vestrum ignorare arbitror, moestissimi Aud. cum maxima iactura facta sit Iosephi Moletij Mefsanensis, Mathematici præclarissimi, mihi potius propter arctissimam, quam cum eo habebam, consuetudinem, & familiaritatē flendum esse, quam vel laudationem ullam in hac vrbe suscipiendam, ubi eius maximæ; clarissimæq; virtutes satis patet, vel consolationem aggrediendam in molestissimo malo, quo tantopere conflictamur. Ecquis enim est tam rudis, tam ab omni sensu alienus, qui tali, tantoq; viro extincto non uehementer commoueatur? Siccine te nobis, vir præstantissime, dedit Deus, vt, cū tua singulari præstantia maxime fruebamur, te ipso nos priuaret? O miseram hominum conditionem, quos tot mala vndiq; circumstant, tot fortunæ tela percutiunt, tot perturbationes angunt, atq; excruciant. Equidem.

dem tam acerbum dolorem, miseriamq; percepi, ut, cum egregij viri ex vetere instituto in funere exornandi onus suscepimus, in communi omnium luctu nihil prope verborū mefacturum esse existimem ad rem ipsam pertinentium, ve rearq; profecto, ne, dum lachrymæ profluunt, non solum oratio, sed etiam mens mihi excidat mœtore perturbata, atq; confusa: facere tamen non possum inter lachrymas, & singultus, quin nobilissimæ Siculæ nationi, in qua ipse flobat, quantum in me est, gratificer; quin admirabilem amici virtutem pro uiribus meis in cœlum feram; quin antiquissimum maiorum nostrorum institutum retineam in Doctore clarissimo laudibus prosequendo. Ceterum si non omnia, quæ dicenda essent, complexus fuero, quæso à vobis, benignissimi Aud. vt in temporis angustias, & molestiæ magnitudinem culpam rejciatis; nec minus benigno, minusq; attento animo me audiatis; atq; interim permittatis, ut quo dolore frangor, differor, ac pene tabesco, eum aliqua ex parte vobiscum scindam, humanasq; miseras, & calamitates aliquantisper deplorem. Quamquā mirari soleo, quid sit, quod hac ipsa de re veterum sapientum tam diuersæ extiterint, discrepantesq; sententiæ; & alij quidem hominem omnium animalium postremum, atq; infelicissimum clamauerint: alij vero eum ceteris animalibus præstantiorem deprædicauerint, felicemq; ac diuinum, & mortalem nuncupauerint deum. Non defuerunt igitur, qui hominem defleuerint tamquam miserrimum, ærumnisq; perpetuis circumseptum, ac ipsis etiam coebris, vt dicebat Aristides, viliorem, quo nihil sit fragilis, nihil fugacius, nihil ubiq; gentium calamitosius. De quo si quis dubitet, ei potest fidem facere optimus auctor Homerus, qui modo cecinit, homine nihil ærumnus esse: modo hominum genus tale esse, quale est foliorū, quo dicto Pyrrhonem Academicum valde delestatum fuisse testatur Laertius: modo homine nihil enutrire terram infirmius: modo homines finiti breuibus spatijs; & ubiq; eos miseris, atq; infelices vocauit. Quid Aeschilus, & Sophocles, alijq; Græci poetæ? Nonne hominem appellare modo vmbra, modo vmbra somnium consueverunt? Menander vero humanam vitam, & dolorem affines esse affirmauit; &

Plutarchus ex Menandri sententia ad Apollonium scripsit , nullum animal esse, quod modo surgat, modo cadat citius, atq; crebrius, quam faciat homo, animal debilissimum , & maxima nihilominus negotia pertractans, & administrans : alibiq; conqueritur , uitam nostram esse non nisi temporis punctum. Taceo Plautum animae salillum nos appellasse , omnibusq; fortunæ telis subiectos . Taceo Varronem bullæ hominem comparasse. Taceo Plinius grauissimam de humana miseria conquestionem; aliaq; vel sexcenta sapientissimo rum hominum testimonia de humanis calamitatibus conquerentium consulta prætereo, contentos vos esse posse existimans unius Ciceronis auctoritate scribentis ; Non nasci longe optimum,nec in hos scopulos incidere vitæ: proximum autem, si natus sis, quamprimum mori, & tamquam ex incendio effugere violentiam fortunæ ; atq; si nostra longissima ætas cum æternitate conferatur, non esse nos admodum dissimiles bestiolis illis, quas ad Hispanum fluuium ab Europæ parte influeantem in Pontum Arist. ait nasci,& yñū diem uiuere: p̄ea quid modo pueros,modo adolescētes, in cursu à tergo insequens,nec opinantes,assequatur senectus;nihilq; fere sit nostra longissima uita ad sempiternum illud tempus, quod post mortem uiuimus. Cum aut exoriens quidem uita ad mala ducat , non ad bona , mors vero à malis abducat, non à bonis, hoc à Cyrenaico Hegesia ita copiose in Aegypto fuisse disputatum, memoriae proditum est, ut quoniam, multi eo auditæ mortem sibi ipsi consicerent, & alij se præcipites darent, alij aquis mergerent , alij iugularent, alij alijs misericordis modis necarent, à Ptolemaeo Rege prohibitus sit illa in scholis disputare, aut in concionibus dicere , ne propter perniciosam hominis eloquentiam humanum genus plus nimio diminueretur. Atq; hi quidem miseros esse homines censuerunt. Aliorum uero contraria fuit sententia, nihil felicius homine reperiri. Etenim Abdalam Sarracenum ferunt, cum ex eo quæreretur, quid in hac quasi mundana scena maxime admirandum spectaretur, respondisse, nihil uideri homine præcellentius. Mercurius autem Trismegistus magnū miraculum esse hominem affirmauit , Deumq; appellauit mortalem, omnium beatissimum, excellentissimum. Zoroa-

stres.

tres uero, Orpheus, Persarum Magi, is etiam, quem modo nominabamus, Homerus, Empedocles, Plato , Aristoteles, Anaxagoras, ipse quoque Cicero, innumeriq; alij in Philosophorum scholis exercitati, hominem dixere singularem quan dam esse naturam diuino animo præditam, ab his usitatis, notwithstanding; naturis sciuntam; animal prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & consilij; eundem præclarâ quadam conditione generatum à summo Deo , solum ex tot animalium generibus participem esse notitiæ Dei, qui cuncta quasi recordetur, atq; agnoscat, superis familiariter, inferiorum Regem, sensuum indagine perspicacem, intelligentiæ lumine interpretem, stabilis aui, & fluxi temporis interstitium, mundi copulam, hymenæum, cameleonta, per Protheum in mysterijs fabularum significatum, ut interpretatus est Asclepius Atheniensis, in microcosmum, in quo omnia cognosci possint, ut in Alcibiade ait Plato, unde illud prodijse dicitur, Nosce te ipsum, id est, in te ipso nosce omnia, in cetera dominatè, nobilissimū generosissimū, sapiētiss. Quid igitur in tam diuersis, atq; inter se discrepatisbus dectissimorū hominum sententijs dicendum est? Hominem scilicet ex duobus constare, corpore, & animo, mortali, & immortali, caduco, & æterno, dupli natura præditum, & tamquam Ianum dupli facie donatum, ita ut ex altera quidem parte mortali, & caduca, nihil eo sit miserius: ex altera uero immortali, & æterna , nihil beatius ; præsertim si animum suum uirtutibus, & doctrinis excoluerit, sibiq; ascensum parauerit ad beatitudinem sempiternam. Quod ita esse, cum ex alijs perspicci, atq; cognosci potest, tum uero etiam ex Iosepho Moletio, cuius grauissima, & iucundissima consuetudine mors acerba nos nunc priuauit; quem quidem, si corpus spectemus, infeliciss. fuisse confitebimus, prorsus debilitatum, infirmum, uarijs morbis obnoxium, perpetuis fluxionibus perturbatum, frequentibus febribus agitatum, ut uix ullus præteriret mensis, quo non grauiter febricitaret, languidum, naturalibus uitribus destitutum, ad senectutem ante tempus perductum, ut qui uix quinquagesimum septimum ætatis annum agebat, septuagenarius, immo uero etiam octogenarius uideretur, denique grauissima uir morbi oppressum, nobis præceptum,

extin-

extinctum, in feretro repositum, in sarcophago reponendū. O maximam corporis miseriam. Si uero animum considere mus, felicissimum iudicabimus, non solum lumine illo, atq; acumine ingenii exornatum, quo antiquissima eius natio Sicula gaudere, & gloriari merito potest: uerum etiam Philosophum, & Medicum præcellentissimum, Mathematicarum disciplinarum interpretem celeberrimum, scriptorem egregium, & ob id multis principibus charissimum, Ducibus Mātuæ, Senatui Veneto, summis Pontificibus incundissimum. O admirabilem animi felicitatem. Ortus igitur in clarissima prouincia Sicilia, quam primos incoluisse antiquissimos Cyclopas, Thucydides scriptum reliquit; quæ optimis studiis dedita, referta assidue, atque, ut itadixerim, fœta eruditissimis hominibus, tulit Empedoclem Agrigentinum, tulit Archimedem Syracusanum, tulit alios innumerabiles ad omnem laudem præstantissimos viros, quæ ob fertilitatem suam Romanorum horreum, Romanæ Reip. cella penaria, Romæ frumentarium subsidium est nuncupata. Ortus in præstantissima natione Sicula, quam M. Tullius Cicero, ut acutissimam, & ingeniosissimam celebravit, ac oratorijs controuersijs maxime aptam, & natam, unde etiam primi scriptores Rhetoricae artis extiterint, Corax, & Tisias; quæ quām generosa sit, in telligi facile potest ex tam multis optimarum artium studio sis Siculis in præclaris studijs iuris ciuilis, Philosophiae, Medicinae, Mathematicarum disciplinarum, omniumq; bonarum litterarum excellentibus, gymnasiumq; Patauinum, tamquā stellis quibusdam, illustrantibus, quos singulos, ut merentur, laudare, & honorare conarer, si modestissima eorum præsentia id pateretur. Ortus in nobilissima urbe Messana, amica, & socia populi Rom. pro qua suscepimus esse grauissimum bellum primum Punicum L. Florus testatur; cum in Philosophia, Medica facultate, ac præcipue Mathematicis disciplinis admirabilem cursum, ac prope incredibilem progressionem fecisset ad excellentiam; Venetiasq; tamquam in lucem Italiæ, atque oculos omnium gentium, doctus, & in primis eruditus se contulisset; ibi ab omnibus, quicunque aliquod iudicium facere de ingeniis poterant, cognitione, atq; hospitio dignus existimatus est; charissimusq; fuit Venetis Patriis

44

tiis, senatoribus, principibus, ut Medicus non spernendus, ut Philosophus summus, ut Mathematicus eximius, ut Astrologus egregius, ut vir omnibus partibus, ac numeris absolutus. Facere cogor, Aud. quod in repentinis prælijs imperatores cosueuerunt, ubi hostes aut ex insidijs erumpentes, aut à tergo, lateribusq; præter expectationem celeriter aduolantes, atq; irruentes conspicunt. Quemadmodum enim illi suos protinus milites, quam angustissime possunt, in unum cogunt: ita ego statim me ipsum in breuem quandam veluti orbem colligere, meamq; orationem in pauca coniucere necesse habeo; vt apud vos sati excusatus esse debeam, si nō omnia pro dignitate complecti possum. Vt igitur breui multa comprehendam, in celeberrima huius præstantissimi viri fama, & maximæ famæ celebritatē, cum Gulielmus, Dux Mantua, altissima mente præditus, qui litteris, & litteratis viris mirifice semper est oblectatus, præstanti aliquo indigeret doctore ad docendum. Mathematicas disciplinas Principibus admodum necessarias. Vincentium filium suū, nunc Serenissimum Ducem, honestissimo proposito præmio Venetijs Mantuam Iosephum Moletium acciuit; qui quidem cum maxima sua laude, ac prope incredibili parentis consolatione, filijq; uilitate, atq; vtriusq; gaudio, & uoluptate, circiter annos septem id muneric obiuit; generosissimum Principem Mathematica scientia erudiuit, tanta facilitate, atque dexteritate (quæ eius propria erat) vt se ei prorsus atinabilem, atque admirabilem redderet; eundem amantissimis consilijs, & saluberrimis præceptionibus ad res dignas genere suo præstandas etiam sponte currentem incitauit; tantumq; profecit, vt eius præstantem operam sibi gratissimam fuisse, & pater, dum uiueret, & filius ipse semper professus sit. Cumq; ab illustrissimis moderatoribus, illustrissimo Senatu, Serenissimo Venetiarum Principe in celeberrimum gymnasium Patauinum inuitaretur, maiori etiam præmio, quam vlo vñquam tempore in hoc ipso Gymnasio cuiquam Mathematicarum disciplinarum interpreti propositum fuerit, in gratiam Venerorum honestissime dimissus est, ingenti pecunia donatus, singulariter dilectus, insigniter honoratus, ita ut uel Princeps ille, qui

amplissimi viri laudibus vnam, quæ maxima sit; attinere, & cum præsertim ea ceteras fere omnes complecti quodammodo videatur. Etenim qui magnis principibus ita placeat; necesse est, ut sit consuetudinis elegantia commendatus; nullis insignioribus uitij notatus; bonarum litterarum cognitione, & liberalium artium tractatione ornatus; sermonis festinatae probatus; non solum ad eloquentiam, sed etiam ad silentij artificium, & opportunam taciturnitatem idoneus; omni prudentia præditus, qui nihil amori, aut benevolentiae cuiusquam, nihil odio, aut iracundiae tribuat, sed omnia ubique ad sui Principis commodum, dignitatemque referat; omni diligentia, solertia, uigilantia, instructus, qui, quid acciderit, prouidisse, nihilq. improuisum omnino, aut non diu meditatum egisse videatur; denique ad honorem, ad splendorem, ad decus, ad gloriam natus.

Qualem fuisse Iosephum Moletium, si vel ex eo perspicere potest, quod tam egregie Gulielmo Duci sapientissimo, & Vincentio eius filio generosissimo sit probatus, nihil est sane, cur ego firmissima hac laude diffusus in alijs recentidis mihi admodum laborandum esse existimem. Quid enim commemorem fatis notam vobis, & perspectam eius assiduitatem, ingenium, doctrinam, perspicacitatem, præstantem excellentiam, excellentem præstantiam in interpretandis, & explicandis de superiori loco, quem per annos duodecim in hoc clarissimo Gymnasio honestissime tenuit, Mathematicis disciplinis, Geometria Euclidis, Sphaera Ioannis Sacrobusti, Opica, Mechanica, atq; vniuersa Cosmographia, Anemographia, Hydrographia, Geographia? Quid recenseam eius ad nominis immortalitatem opera insignia, egregie conscripta, & edita; vt librum de Geographia non selen typis impressum: vt Ephemeridem, quæ in tanto usu est hominum litteratorum: vt Commentarios in Geographiam Ptolemæi, qui à doctissimis viris tantopere laudantur: vt tabulas Gregorianas, quas iussu Illustrissimi Senatus Veneti in gratiam summi Pontificis conscriptas non solum ipse Senatus ducentis, vt uocant, ducatis ipsi donatis, verum etiam Gregorius XIII. Pon-

M no

qui patri præstantissimo præstantissimus succedit, eum dignu fecerit, apud quem non semel in hac urbe hospitaretur, quemque in publicis Scholis non nunquam honestatis, & amplitudinis gratia audiret. Cum igitur Ducibus illis summæ laudes, atque honores debeantur, quod egregie censuerint, quam necessarij sunt oculi hominibus in corporis actionibus, tam necessariam esse sapientiam in populorum administrationibus, ut quemadmodum T. Manlius Torquatus, cum intellexisset se fuisse consalem declaratum, minus se idoneum existimauit ad summum imperium administrandum propter ualitudinem oculorum; & ob id consulatum recusauit: sic, qui carent lumine sapientia, minus digni existant, qui populis præsint; cum inquam illi sint summopere laudandi, atq; honorandi, ob præclarum institutum sapientia studiosissime persequenda, & eruditissimorum hominum omni benignitate complectendorum: ne vulgaris quidem laus est, talibus, & tantis principibus tantopere placuisse, ac non solum doctissimo Duci probatum esse, atq; ab eo pro filii institutione expetitum, acerbitum, omnibus modis honestatum: uerum etiam ad doctrinam ipsum filium mirabiliter prouexisse; & quidem ad eam doctrinam, qua nihil est in principe illustrius, ad imperium tuendum, in cœnibus, & præpugnaculis stabiliendum; idoneis copijs, & exercitibus, cum oportet, instruendum, atque amplificandum maxime accommodata; quæ aditum præbet ad reliquam sapientiam, ut sine ea nihil propemodum in sapientia studijs profici posse uideatur, idcircoq; diuinus Plato neminem Geometriæ expertem ad se audiendum ingredi patetetur; quæ denique tam firmam, & certam rationem habet, ut una inter ceteras artes, & facultates proprie appellari scientia doctissimorum hominum iudicio mereatur. Itaq; nō uereor, ne, si uel unum hunc duntaxat dixerim, Iosephum Moletium à Gulielmo Duce Mantua ad Vincentium Principem Mathematicis disciplinis erudiendum adhibitum esse; eum à me parum, aut frigide laudatum fuisse obiici iure queat. Quemadmodum enim numorum preciosissimos eos existimamus, quibus materiæ dignitate, metalliq; præstantia, non forma magnitudine auctoritas concilietur: ita satis esse potest, ex omnibus huius amplissimi

no missis, & pluribus etiam pro earum continuacione promissis, censuit honorandas? Quid nominem alia quamplurima, eademque grauissima scripta, ab eo inchoata, & nobis relicta; quæ quamuis ab ipso perfici non potuerint, contendere tamen merito posse cum aliorum recentiorum ijsdem de rebus conscribentium perfectioribus operibus uidetur? Date, quæso, mihi hanc ueniam, Aud. si potius historico, quam oratorio munere fungi nunc vobis propter angustias temporis, & magnitudinem doloris mei uisus fuerit; ac permittite, ut in hoc amplissimo tot, tantarumq. laudum mari uela tandem contraham orationis meæ: maxime uero quia, si uelim singulas eius res gestas commemorare, & enumerare tantum, nedum exornare, & illustrare oratione, perinde sit, ac si pulchra aliqua poma ex optima arbore in horto quopiam egregie culto nata, & ab omnibus spectata, digito commonistrare contendam: aut si picturas aliquas singulares, non nisi ab excellenti artifice, optimis coloribus, maxime accommodatis penicillis, factas fuissent, quæ per se notissima, atq; exploratissima sint, ostendere uobis coner. Quemadmodum autem dicebat Socrates, non esse difficile Athenienses apud Athenienses laudare, ubi scilicet, quæ exornarentur, ab omnibus cognoscuntur: sic mihi uidetur esse facile, laudationem, & exornationem Iosephi Moletij perorare, cuius actiones uos plane nouistis; cuius comitatem, & animi candorem perspexitis; cuius prudentiam, & dexteritatem experti estis; de cuius virtutibus testimonium alijs præbere potestis; cuius bonitatem, & facilitatem nemo fere in hac tota urbe reperitur, aliquo aut ingenij, aut uirtutis iudicio notus, qui amplissime testificari non queat. Iam uero cum uir præstantissimus, & præclarissimus huius uitæ malis, quibus eius corpus perpetuo texabatur, sit liberatus, & tandem aliquando ad globos illos coelestes, quos eius animus tantopere, & tam excellenter fuerat contemplatus, peruolauerit; ac nunc multo melius, quam in his corporis compagibus, in his terrenis membrorum uinculis, in hoc obscuro carcere faciebat, uideat in splendidissimo candore inter flamas orbem lacteum cluentem; uideat magnitudinem illarum flamarum uel

ipsum

46

ipsum superantum magnitudinem terræ; uideat in celo infixos illos ignes innumerabiles, & sempiternos, quæ sydera, & stellæ nuncupantur; uideat cursus Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, Lunæ, quæ sunt errantes stellæ, & retro contrario motu feruntur, atque superius cœlum; videat terram suis libratam ponderibus in medio mundi sitam, quasi puncti instar obtinentem, si cum cœlo conferatur, quinque circulis redimitam, & circundatam, duabus habitabilibus, & tribus inhabitabilibus, vt veteres crediderunt, uel potius omnibus habitabilibus, ut recentiores inuenierunt, & ipse Moletius optime demonstrabat; uideat intuitu uno totam rerum uniuersitatem, totum mundum, & quæ in mundo continentur, omnia; denique uideat deum, eiusque uisione gaudeat, quam uisionem, & gaudium ambrosiæ, & nectaris nomine Plato significauit: eius certe causa non est dolendum, maxime uero, quia christianissime uixit, & christianissime mortuus est; ita vt ab his terrenis malis ad cœlestem beatitudinem eum peruenisse sine dubio credendum sit: uerum si dolendum, nostra causa dolendum, qui tanto, tamque excellenti bono careamus, atq; priuati simus. Tamen debemus cogitare, incepsissimi Aud. si habebamus non solum immortali animo, sed etiam immortali nomine Doctorem, nos non habuiste eum corpore immortali; tandemque acerbissimi doloris modum inuenire; maxime qui studia sapientiae pertractamus, & profitemur, quibus licet quidem aliquantis per dolere, ne prorsus inhumani, prorsus feri, omnisque expertes humanitatis videamur, sed non diutius in dolore persistere. Quam obrem definite, obsecro, præstantissimi Siculi, tantopere, vt facitis, dolere. Definite omnes optimarum artium studio si, qui ex eius doctissimis explicationibus maximam utilitatem percipiebatis, tam vehementer mœrere. Define, uniuersum gymnasium Patauinum, quod vnum de tuis doctissimis præcipuis amisisti, mœrere confici, ubi proficere nihil potes. Define, Bernardine Petrella, vir præcellentissime, qui tantam ex eius consuetudine consolationem, & voluptatem mecum capiebas, conqueri, lamentari, lugere ob malum commune, cui remedium adhibere non possumus. De-

M 2 fina-

finamus omnes de Iosepho Moletio solicii esse ; qui maximum quidem nobis sui desiderium reliquit : sed summa cū tranquillitate inter cœlestes degit; animumque reuocemus ad Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum; totique conuertamur ad Iesum Christum seruatorem nostrum, qui vñus ægras mentes consolari potest , unus uera est consolatio, ueraq; felicitas; eumque suppliciter oremus, ut & ad viri optimi , ac doctissimi imitationem nos conformare, & quemadmodum cum sanctissimo afflato suo creditur adiuuiste, ita nos quoq; adiuuare pro maxima benignitate sua non grauetur.



Habita Patauij, in Templo Di. Francisci, VI. Kal.  
 Febr. M. D. LXXXVIII.



# In Obitu SPERONIS SPERONII ANTONII RICCOBONI Oratio



I qua unquam iactura fuit summopere deploranda, mœstissimi Aud. hæc profecto est summo ploratu dignissima, quam in obitu Speronis Speronij fecit non solum Resp. litteraria uiro orata litteratissimo ; non solum Resp. Veneta, uiro amissio omnium sub imperio suo in litterarum studijs præstâtissimo : uerum etiam ciuitas Patauina, quam ipse suo lumine mirifice collustrabat, & familia Speronia, cuius idem habebatur singulare decus , atq; ornamentum; ut merito mereant omnes; meritoq; ego, cui mandatum est , ut in tanta populi frequentia, tantoq; litteratissimorum hominum cursu, ad uirum præcellentissimum in funere exornandum orationem habeam; quiq; satis intelligo, ut is pro dignitate laudaretur, eius ipsius, qui laudandus est, opus fore ingenio, & eloquentia, non mea, quæ aut nulla est, aut certe admidū exigua, uix obsistere doloris magnitudini queam; nihilque me miserius, aut laboriosius esse confitear , qui onus , quod humeri

humeri sustinere mei non possunt, gratificandi studio subire quodammodo coactus sum; nec satis uirium mearum imbecillitatem excusare potuerim. Ac æquum quidem erat, ut qui uiuus omni uirtutum genere ceteris fere omnibus antecelluisse existimat, & ob id maximum sui desiderium apud omnes reliquit, idem mortuus egregia funeris pompa, & honore aliquo eximio cohonestaretur: sed uereor, generosissimi Patauini, ne præclaram hanc uoluntatem uestram, ut præstantes eius, & præcellentes laudes celebrentur, ego ad hoc munus obeundum delectus aliqua ex parte impediam; qui ut aliquid in dicendo ualerem, & aliquantisper in dicendi exercitatione uersatus essem, grauitate tamen oneris ita opprimor, ut non solum oratio, uerum etiam mens mihi concidat, memoria excidant pene omnia, &, quid dicturus sim, fere prorsus ignorem. Verum illud aliquantulū me recreat, & reficit, quod, quemadmodum Socrates dicere solebat, non esse difficile Athenienses apud Athenienses laudare, ubi nimis eorum ipsorum laudes, qui exornarentur, notissimæ essent, atq; exploratissimæ: sic ego sperare possum fore, ut in urbe Patauio Speronem Speronium Patauipum non difficulter laudē, ubi eius præstantiam omnes norunt; ut, quæ uniuersitate eius dixerit excellentia, iis uos assensuri, quæq; singillatim propter infinitatem enarrare non potuero, aut propter obliuionem prætermisero, ea uos suppletuiri esse facilissime uideamini. Quid dico in urbe Patauio? Immō uero tanta ipse erat famæ celebritate, ut, quod euenerat Athenis de laudibus Atheniensium, id euenerit posse de laudibus Speronis Speronij non in una modo urbe, uerum etiam in toto terrarum orbe existimandum sit; quod nullus prope reperiatur tam inaccessus, tam ab omni hominum confortio remotus in terris locus, quod non eius fama peruaserit. Cum autem tanti uiri decora, & dignitatis insignia, ac fortunæ, corporis, animi ornamenta innumera fuisse uideantur; satis fortasse fuerit, si uniuersitate exposuero; Speronem extitisse talem, à quo quidem clarissimi uiri idea desumi potuerit, etiam præter doctissimorum hominum consuetudinē. Hi enim consueuerunt magis terum formas, quas appellarent ideas, quam res ipsas exprimere, & quandam earum

per-

perfectionem, atq; absolutionem exquirentes magis, quales esse oporteat, quam, quales sint, demonstrare; ut ex eorum sententia nemo inueniatur tam perfecte, & absolute prudēs, aut fortis, aut temperans, aut iustus, nulla rei familiaris ad ministratio tam exacta, nulla Reip. tam recta, quam ab ipsis descripta sit, & optimisationibus cōformata. Sic factus poeta inter ceteros ab Horatio. sic architectus à Vitruvio. Sic Imperator à Vegetio. Sic paterfamilias à Xenophonte. sic ciuis ab Aristotele. sic orator à Cicerone. Nos uero optimam clarissimi uiri imaginem exprimere cupientes, pace nūc Philosophorum, & Dialecticorum, præpostoram rationem sequemur, & non uniuersa singulis, sed singula uniuersis accōmodabimus, atq; ex uiro uere singulari uniuersalem præclaruī uiri formam colligemus, eamq; speciem, quam ipsi Philosophi non cerni, sed tantum teneri animo posse censuerunt, oculis etiam uestris subiectam fuisse, ac digito commonstrarī potuisse, dum ille uiueret, ostendemus. Itaq; filiant nunc quæso, Philosophorum dogmata, ut ab uniuersis ad singula delabamur. Taceant Dialecticorum præcepta, ut rem uniuersalem singulari non comprobemus, dum à singulis unius uitætibus, & ornamentis ad clarissimum uirum uniuersis cōformandum ascendemus, ut ipsam ideam intueamur, unummente nostra intuentes, qui unus esse omnibus potest norma, regula, & præscriptio'. Quemadmodum enim M. Cato Censorius tres summas in homine res præstitisse existimat, optimus orator, optimus Senator, optimus imperator: & P. Crassus Mutianus quinque habuisse rerum bonarum maxima, & præcipua commemoratur, quod esset nobilissimus, ditissimus, eloquentissimus, iurisconsultissimus, Pontifex Maximus: sic cum Spero Speronius non tribus, nec quinque, sed longe pluribus, sane maximis, & præcipuis clarissimus fuerit, nobilitate patriæ, splendore familiae, fortunarum amplitudine, corporis firmitate, ingenii præstantia, differendi ratione, Philosophia contemplandi, Philosophia agendi, Poetica, Rhetorica, scribendi excellentia, sacræ scripturæ, omnisque antiquitatis cognitione, prædicendi quadam diuinitate, equestri dignitate, principum consuetudine; quis adeo pertinax, adeo obstinatus sit, quietiam non seruata supersti-

perstitiosa argumentandi formula , illud uerissime confici posse non fateatur, In omni litterato clarissimo uiro hæc omnia inesse oportere, quæ singula in singulis laudari consuerunt, & uniuersa in Speronio mirabiliter enituerynt? Ac uerissimum quidem illud est, quod in ore habebat Agesilaus, Non homines à locis, sed loca ab hominibus nobilitari; ut nobilissimum Patauium, ubi ipse nobilissimo loco ortus est, quamuis originis uetusitate, & origine Troiana merito glorietur; quamuis florentissimo Gymnasio lætetur, omnis ingenuæ disciplinæ parente, ne spatijs quidem Academicorū , nec Lyceo Peripateticorum, nec porticibus Stoicorum doctrinæ gloria concedente, quamuis duobus clarissimis collegijs gaudeat, altero Iurisconsultorum, altero Philosophorum, & Medicorum; quamuis aliis commodis, & ornamentijs perfruatur, quæ omnibus tam nota sunt, & à me tam sæpe celebrata, ac crebris sermonibus usurpata, ut noua com memoratione non egeant : nulla re tamen magis gaudere, lætari, gloriari debeat, quæm quod à præstantissimis ciuibus suis fuerit nobilitatum, Liuijs, Paullis, Stellis, Flaccis , alijs omni laude præstantibus; atq; inter ceteros à Sperone Speronio, qui totum Patauium, qui gymnasium uniuersum, qui utrumque collegium; qui nomen Patauinum luce sua maxime collustrauit. Quemadmodum autem plus splendoris patriæ suæ attulit, quæm ab ea accepisse uideatur: sic non minora familiæ Speroniæ ornamenta uirtutibus suis reddidit, quæm ab ea reportauerit ; alioqui nobilissima ; & uiris ad omnem laudem tum armorum, tum litterarum insignibus, semper affluentissima; quæ est eadem, ac clarissima familia Aluarota, mutato nomine propter primum Speronem Aluarotum Speronii generis auctorem; in qua præter alios quæm plurimos, quos longum esset enumerare, floruit Franciscus Speronius, summus olim Reip. Patauinæ Imperator, & Bernardinus Speronius Aluarotus, ipsius Speronis pater, Medicus eximus, & Medicæ facultatis interpres celeberrimus; qui quidem ob famæ celebritatem à Leonex. Pontifice Max. Romanum summo studio, & amplissimo præmio ad eius sanitatem tutandam accersitus apud eum summo in honore fuit; post mortem uero ipsius Pontificis in patriam reuersus à Leonardo

nardo Lauredaño Sereniss. Venetiatum Principe non solù ad eius curationem sæpe adhibitus est, uerum etiam tamquā eo tempore omnium præcellentissimus ad curandum inter Cenomanos Odetium Lotrechium summum Gallici exercitus imperatorem missus. Tanto igitur parente natus cum rem familiarem satis comodam, & ei, qui honesto loco ortus esset, satis accommodatam à maioribus accepisset, eam tamen industria sua valde amplificauit : cumq; à lapientissimo Philosopho didicisset, diuitias non tam in possessione, quæm in vsu positas esse, præter alios laudabiles vsus eas non solum ad generosissimas filias suas in honestissimum matrimonium adhibuit collocandas, verum etiam ad dotes neptiū , vt altius collocarentur, augendas; in quibus quidem dotibus nulla necessitate, sed sola liberalitate maioribus efficiendis eum sexdecim numorum aureorum millia breui temporis spatio posuisse, non ignoratur . Quid dicam de corporis firmitate? quæ quidem eiusmodi erat, vt, quamuis laboriosissimus esset, & in litterarum studijs, ac scriptionibus assidue uersaretur; addo etiam, quamuis ad iram náliter uideretur proclivior, idoneam ad corpus corruptendum, alioquin , ut Peripateticorum Princeps tradidit, affectum fortitudinis, & magnanimitatis; quamuis sæpe ægrotauerit : eundem tamen corporis uigorem , eosdemq; spiritus usque ad extrema ætatem retinuerit , & natus anno quingentesimo ultra millesimum, pridie Id. Aprilis, perdurare ultra octogesimū octauum ætatis annum potuerit. Bona uero animi natura lia in eo fuerunt admiranda, uelox animi motus, memoria prope incredibilis, natura ad contemplandum, & ad agendum aptissima , argutiæ , & acumen singulare , cuius mira commemorantur documenta, uiuidum ingenij lumen, & uer satile ingenium ad res quaslibet obeundas maxime accommodatum, denique reliqua omnia, quæ in uiro præclaro, re quiruntur, ut ad res egregias, & sublimes à natura formatas esse, & non in terris natus, sed de cœlo delapsus videretur . O virum omnibus admirandum, omniumq; uocibus, & litteris celebrandum. Iam uero cum ingenij gloria omnibus antecelleret, & in collegium Philosophorum, ac Medicorum, tamquā Doctor præcellentissimus, quamuis ætate tantum

N anno-

annorum duodeuiginti, cooptatus eslet; ei facile fuit, primū adhiberi ad Logicam facultatem in celeberrimo huius urbis gymnasio interpretandam: deinde vero traduci ad Philosophiam naturalem explicandam. In quibus muneribus ob-eundis magna sua cum laude, ac prope incredibili omnium cum admiratione, facto semper ad eum audiendum magno studiosorum iuuenum concursu, permultos annos uersatus est. Cumq; in eo Philosophiae genere lumen animi, atq; ingenij sui ostendisset, ad agendi Philosophiam se conuertit; eiusq; præclara præcepta ad actiones publicas accommodauit; tantumq; profecit in hac nobilissima ciuitate administra, ut plurima, & maxima commoda, atque adiumenta ei importauerit, atq; inter cetera Hebræos eiecerit, Montem, ut uocant, Pietatis erigendum curauerit, Venetijs impetraverit, ut Gorzonæ aquæ ad commodum uniuersi agri Patauini aperirentur, aliaq; tam multa effecerit, ut ne longissima quidem historia, nedum breui oratione, comprehendi posse videantur. In qua quidem ciuili Philosophia tantum excellere uisus est, ut ab illustissimis gymnasii moderatoribus, in primisq; à Marino Caballio, uiro sapientissimo, ad publicum munus eius interpretandæ, atq; explicandæ amplissimo præmio fuerit inuitatus; quod tamen ad maiora, ac altiora conuersus honestissime recusauit. Neque uero fecit, quod nonnulli pessimo exemplo efficere consueuerunt, qui ita se abdunt studio Philosophiae, ut reliqua studia contemnant, & aspernentur: sed ueterum Sapientum uestigijs institutis, sane egregijs, & præclaris, ac signatis ad gloriam sempiternā, qui non solum eximia sapientia præcepta, quæ ipsi in primis spectabant, uerum etiam uerborum, quibus illa quodam modo sustinentur, subsidia sibi nota esse oportere statuerunt; ut Platonis, cuius uerbis, si Iupiter græce locutus eset, locuturus fuisse narratur: ut Xenophontis, cuius uoce Musæ quasi locutæ feruntur: ut Aristotelis, qui aureum orationis flumen fundere existimatus est: ut Theophrasti, qui diuinitate loquendi nomen inuenit: ut aliorum multorum, qui idem & intelligendi, & dicendi maxime studiosi extiterunt. Itaque ipse quoq; utramq; eloquentiam, tum poeticam, tum oratoriam complexus est, & in utraq; mira dedit præstantiæ documenta. Etenim plures Poëses confecit, quæ iusto iudicio ad ueterum Poëlium laudem, & excellentiam perueniunt; quarum tametsi non nullæ, editis etiam famosis libellis, reprehensæ fuerunt: tamen generoso animo satis fuit, ut non solum priuatim apud amicos litteratos, uerum etiam in publicis Academijs defenderentur, & huiusmodi defensiones ex ore ipsius audissime exceptæ publice scriberetur: nec præterea ab eo aliud quidquam curatum est: quod uiri magnanimi non sit, cuiuslibet, nullo adhibitō delectu, pugnam subire; nec Aiaces debeat, uel ipso Homero teste, cum Cebriónibus decertare. Pulcherrimum uero iudicium fecit de Aeneide Virgilij; quod si in lucem, & aspectum hominum proferetur, arti Poeticæ multum luminis afferet, & claritatis. Quid commemorem eius præstantem excellentiā, & excellentem præstantiam in arte oratoria exercenda, & munere oratoris obeundo? Satis enim constat, cum is publice esset locuturus, quod in compluribus cauiss faciebat, non solum Patauji, uerum etiam Venetijs, & in alijs uribus multis, propter eius celebrem famam solitum fuisse illud admirabile eueniire, quod etiam de Callistrato commemoratur, & non nisi summis oratoribus accidit, ut omnia in subsellijs loca subito occuparentur, complerentur tribunalia, adesset corona multiplex, adessent iudices erecti, cū surgeret ad dicendum, silentium à corona significaretur, deinde fierent crebræ assensiones, multæ admirationes, risus excitaretur, cum uellet Speronijs, cum uellet, fletus, & habita peroratione ipse magna hominum multitudine comitante inter ingentes applausus magnis cum laudibus domum reduceretur, omninoq; eminere unus inter omnes oratores in omni genere dicendi uideretur: Neque uero illud prætermittendum est, quod ad eum audiendum, & admirandum tantus hominum siebat concursus, ut pierunque ne amplissimis quidem locis, ubi loquebatur, multitudinem capientibus, uel in scalis extrinsecus positis ad fenestras, & ad partem scissuras plurimi conspicerentur, felicioresq; existimarentur, qui commodiorem locum ad audiendum occupare inter plurimos potuissent. Qua famæ celebritate cum esset absentibus quam notissimus, à Vido Vbaldo, Duce Vrbina-

anno  
docu-

te, ad laudes Iuliæ Varanæ uxoris luculentissima oratione in funere celebrandas accitus est; eamq. cum maxima sua laude laudauit: miramq; eloquentiam cum sapientia coniunctā vel Romæ ostendit tempore Pij IIII. Pontificis Max. in Academia Vaticana , cuius ipse vñus de præsidibus fuit , quos parentes appellaut; in qua eum s̄aepē sapientissime, & elc̄quē tissime disputantē litterati aspectabant, eiusq; ob os ora obuerrebant sua . O virum sapientium eloquentissimum, & eloquentium sapientissimum. O Speronem Speronium ad sapientiam, & eloquentiam natum . O virum, quem quidem iure possumus nominare Aristotelem , Homerum , Demosthenem Patauinorum. Præter Poëses autem, & Iudicium de Poësi, ac præter orationes, conscripsit quoque Dialogos illos celeberrimos, qui in manibus omnium versantur; genus scriptionis ab ipso selectum, non solum quia persuadeat efficacius, & opiniones diuersas comprehendat commiodius , ac sua varietate delectet magis, verum etiam quia ad amicos honorandos aptissimum sit. Præterea scripsit Apologiā Dialogorum suorum: & Methodum Præfessionis: & posteriore quoq; vitæ suæ tempore (numquam .n. scribendo defessus est) Methodum scribebat historiae; aliaq. multa opera inchoata perficiebat. Quæ vtinam essent absoluta: plurimū .n. vtilitatis afferrent litterarum studiis . Sed, quando uir præstantissimus , & ad commune commodum maxime inflammatus ea, quæ uolebat, omnia præstare non potuit, ijs, quæ perfectiora reliquit, nihilominus perfruamur; & in manibus habeamus; ijs oblectemur; eius elegantem conscriptio nem imitemur, & scribendi rōnem sequamur: plurimū .n. in ea valuit Speronius; atq. ea, q; sibi Etrusci nūc vendicant, lingua tā copio se, tā eleganter, tā numero se, tā mirabiliter usus est, ut, cū multa à multis eo sermone ornatissime scripta sint, eorum nemine inferior , plerisq; superior fusile, & quidem longe superior existimetur: quod eius scriptis nihil esse pūrius, nihil ornatius, nihil politius, uno uerbo nihil excellētius uideatur. Quid ? quod uniuersæ sacræ Scripturæ, omnisiq; antiquitatis se peritissimum ostendit, cum s̄aepē alias, tum uero etiam, cum de kalendario corrigendo sub Gregorio xi:ii. disertissime disputauit, elegantissimeq; conscripsit ?

Nihil uero admirabilius , quam quod diuinitate quadam pollebat prædictionis: plurimorum enim mortem admirabiliter prædixit; ut Iulij, & Bartholomæi fratribus suorum: ut Marsilij, & Vbertini Papifauij, utriusque generi suis ut Alexandri Papifauij nepotis : ut Alberti Comitis generis ut Bernardini, & Seueriani Doctij: ut aliorum compluriū, quos omnes enumerare nimis longum esset. Qua excellentia in omni genere admirabilitate, per aures, atq; ora omnium peruagata , non solum à Pio IIII. Pontifice Max. E questri dignitate est decoratus, & à Pio V. & Gregorio xiij. in summo honore habitus usque ad famam. Cardinalatus : uerum etiā ceteris Principibus fuit charissimus, & iucundissimus , qui aliquid de ingenij poterant iudicare, ac cum illorum multis magnam habuit consuetudinem. Ut præter eū, quem modo nominabamus, Vidum Vbaldum, Vrbini Dicem, cuius uel illustrissima filia, Virginia eius gubernationi commissa est; quiq; ei honorifice mandauit, ut Fr. Mariam Ducem, patrem suum , à calumnijs defenderet quorundam historicorum: etiam cum M. Antonio Columna: cum Octa uio, Duce Parmæ: cum Alphōso, Duce Ferrariæ: cum S.R.E. Cardinalibus, Farnesio, Borromeo, aliis multis ; atque inter ceteros cum quinque Cardinalibus Cornelij, Marco, Francisco, Andrea, Aloysio, Friderico. Cum enim proprium semper fuerit illustrissimæ Corneliorum familiae præclara litterarum studia fouere , omniaq; benignitatis genere litteratos uiros complecti , cuius singularis proprietatis laus accedit ad eam, qua ipsa ornata est, regii sanguinis claritatem, fortunam amplitudinem, tot sacerdotiorum, tot Episcopatuū, tot Cardinalatum dignitatem ; illustrissimus quoque Fridericus, S.R.E. Cardinalis, Episcopus uester, nobilissimi Patauini, cum Aloysio fratre Cardinali, & alijs maioribus suis, Speronem Speronium deuinctum consuetudine tenuit, semper dilexit, semper admiratus est, semper omni ratione honorandum putauit. Quod tu etiam fecisti , Marine Grima-ne, præfecte præstantissime, & Di. Marci Procurator illustrissime, una cum Georgio Contareno, iustissimo, & benignissimo Prætore; qui inter alia uestra decora, & ornamenta, cū in administranda iustitia , & hominum inopia subleuanda actiones

actio[n]es uestras omnibus amabiles , atq; admirabiles præ  
beatis , ita ut merito uniuersus populus uos non solum ad  
publicum commodum,& dignitatem tuendam, atq; augen-  
dām, uerum etiam ad priuatorum utilitatem , & adiumentū  
natos esse, libenter confiteatur,& prædicet,in eo simul mira-  
biliter resulgetis, quod magni estis litterarum patroni,& lit-  
teratis uiris summopere fauetis , Speronemq; Speronium,  
tamquam uirum litteratissimum, consuetudine uestra, atque  
omni honore dignum iudicatis . Sed dies, uox, latera me de-  
ficiant, si omnes eius patronos, amicosq; , maxime patritios  
Venetos, qui eum tamquam oraculum quoddam, numenq;  
litterarum uenerabantur, commemorare , ceteraq; omnia,  
quaे de tanto uiro dici possent, mea complecti uelim oratio-  
ne. Nunc igitur fuerit satis nouo quodam, & singulari exem-  
plo ideam clarissimi uiri proposuisse, quam perpetuo intue-  
mur, & ad cuius perfectionem , quam proxime possumus,  
accedamus. Quam admirabilem uiri præstantiam si mini-  
me potui, quod maxime uolui, exprimere , ei potius, quam  
mihi , benignissimi Auditores, id ascribere debetis: homo  
enim ego sum: eius uero laudes humanam superare condi-  
tionem uidentur. Si nobilissimum Patauium , quod tanto ci-  
ue suo merito gloriatur , semperq; gloriabitur , & ob eam  
causam felix censemur, quod tantum lumen produxit, tan-  
to heroi suo illos omnes honores habere non potest , quos  
ipse meretur: at saltem illos habeat, quos potest. Dignus sta-  
tua est iudicatus Ennius , ita ut etiam in sepulchro Scipio-  
num fuisse constitutus ē marmore existimetur: at uester En-  
nius erat Speronius; immo uero uester Homerus: homo n.  
ille Rudius rude quiddam, & pingue sonabat, minusq; polite  
scribebat: hic uero instar Homeri præclarum quiddam , &  
singulare, omniumq; politissime. Trécentas, & sexaginta sta-  
tuas Demetrio Phalereo oratori ab Atheniensibus positas  
fuisse, memoriae proditum est. Cur una tantummodo statua  
Speroni Speronio à Patauinis non ponetur, qui non solum  
summus orator fuit, uerum etiam poeta præstantissimus, &  
philosophus præcellentissimus? plura non dicam hac de re,  
prudentissimi Patauini, ne uidear maxima uestra prudentia  
subdiffidere. permittite tamen, quaeso, ut pro iure Patauini-  
tatis

52

tatis, quod mihi benignissime tribuistis, illud oratione mea  
conficiam , si T. Liuio historico statua erecta est , si Paullo  
iuris consulto, si alijs, ineundam esse uobis hanc gratiam ab  
omnium gentium hominibus innumerabilibus, qui tempo-  
ris progressu Patauium uel studiorum , uel aliarum rerum  
cauſa se conferent , ut eius uiri expressam effigiem publice  
collocetis, quem de facie non cognouisse , omnibus , qui-  
cunq; Patauij fuissent , nefas quodammodo esse uidebatur;  
quem ut uiderent, hoc tantum nomine multi Patauium ueni-  
ebant, cuius imaginem perspicere plurimi siue dubio concu-  
piscent: cauendumq; esse diligenter, ne quemadmodum Ca-  
to nullam sibi statuam erigi uoluit, quod diceret, malle se, ut  
posteritas percuntaretur, cur Catoni statua non esset posita,  
quam cur posita : sic cum Speronis Speronij claritas nulla  
egeat statuarum illustratione , non sine aliqua tamen repre-  
hensione uestra querant posteri, cur ei statuam non posue-  
runt; ut non magis ad eius, quam ad uestrum honorem per-  
tineat hoc honoris genus ipsi tribuere. Interim, cum tantum  
Patauinum lumen extictum sit, atq; ita extictum, ut accendi  
amplius naturaliter non possit; mceror quidem noster tanti  
boni priuatione excitatus reprehendi non debet, quod non  
ferrei, non faxei simus: sed, cum frustra mcerore conficia-  
mur, ubi nihil omnino proficitur, mcerendi finis est facien-  
dus, consolatioq; capienda, & nobilissimi eius propinquus con-  
solandi, incredibili fane dolore, eodemq; iustissimo confecti:  
in memoriam reuocandum, Speronem Speronium non esse  
natum corpore immortalē, eum satis diu uixisse, eū immor-  
tale nomen reliquisse: maximæ ipsius, clarissimæq; uirtutes  
imitandæ: denique quidquid ex præpotentis Dei uoluntate  
acciderit, ut hoc ipsum accidit, in eo conquiescendum.

Habita Patauij, in Ecclesia Cathedrali, Nonis Jun.

M. D. Lxxxvij.



uerim; nunc mihi mandatum est, ut alterum lumen uestrū.  
nempe fortitudinis, magnanimitatis, omnisiq; virtutis lumē,  
Pium Aeneam Obicium, mea defleam oratione. Qua tamē  
in re aliquam modum adhibendum esse arbitror. Etenim  
magnum quidem est malum, fateor, atq; haud scio, an ma-  
ximum, quo confictamur; magna iactura, quam fecimus,  
magnum detrimentum, quod accepimus, ex hujus obitu  
Illustrissimi viri; sed, quæcunque nobis in hoc tam breui,  
tamq; exiguo uitæ curriculo tot difficultatibus, atque æru-  
mnis proposito, eueniunt, euidem tanti facienda non exi-  
stimo, ut perturbationibus animi subiaceamus, acerbissimo  
que dolore frangamur; quod est animi abiecti, & demissi,  
atque ad iniurias inconstantis, uolucrisq; fortunæ propul-  
sandis parum uigilantis, atq; exercitati. Qui uero afflitis, ac  
iacentibus rebus nullo conficitur mcerore, nullam contra-  
hit molestiam, sed salutarem uulneri medicinam adhibet,  
consilijq; sui rationem ad repentinos eventus prudenter ac-  
commodat, & eorum, quæcunque fors adfert, nihil formi-  
dat; is ab omnibus habetur, & reuera est sapiens, dum ad o-  
mnem incursum munitus est, dum eum nec paupertas, nec  
luctus, nec ignominia, nec doloris impetus frangere ullo  
modo potest: dum omnes iniuriarum procellas, omnes mo-  
lestiarum turbines animi sui inuicti robore perfringit, atq;  
perrumpit. Præclare Euripides eum uere sapientem dicebat,  
qui cederet necessitatib; qui aduersa non commoueretur fortu-  
na; qui aduenientibus malis occurreret; qui denique quo-  
scunque casus permolliter ferre sciret. Idcirco Stoici, cum  
omnia ornamenta, omnes uirtutes sapienti tribuissent, eun-  
dem à perturbatione, à dolore, à consternatione uacuum  
esse uoluerunt: qui externis rebus ab animi tranquillitate nō  
potest dimoueri; cui, ut tradit Arpinas, nihil magnum in  
rebus humanis uideri potest: qui semper sic excubat animo,  
ut ei nulla res improvisa accidere possit, nulla inopinata,  
nulla omnino noua: qui omnē fortunæ casum apte, & quie-  
te perfert. Quod cum rerum omnium difficillimum sit mor-  
talibus, fit, vt multi quidem sapientiam sequantur, pauci ue-  
ro illam assequantur, illam inquam sapientiam, qua tu meri-  
to, generosissimum Patauim, gloriari potes, ut quò cete-

O ris



In Obitu  
PII AENEAE  
OBICII  
Patauini  
DVCTORIS EQVITVM  
CATAPHRACTORVM,  
S V M M I Q.  
*Collateralis Serenissima R eip.*  
VENETAE.

\* Antonii Riccoboni Oratio . \*



Osteaquam dies festi Pentecostes mihi  
esse quodammodo fatales uidentur  
ad aliquem extinctum Patauij splen-  
dorem deplorandum, Georgi Conta-  
rene, illustrissime Præses, mœstissi-  
miq; Patauini; cum superiori proxi-  
mo anno his ipsis diebus sapientiæ  
lumen uobis morte ademptum. Speronem Speronium, defle  
uerim;

fuit Obiciæ familia : alter Fliscus , qui Fliscis Genuensibus nomen dedit,& ab eodem Imperatore Lauaniæ Comes creatus est . Quapropter ex una duæ familiae sancè perillustres factæ sunt,unde plurimi prodiderunt,qui multos,magnosq; honores,imperiaq; exercituum summa cum laude administrauerunt,& Summis Pontificibus , Imperatoribus, Regibus, alijs Principibus Duces militum honestissime seruiuerunt: ubi Episcopi, Archiepiscopi, Cardinales,Pontifices Max. eni tuerunt,atq; inter ceteros Innocentius III. qui, ut propinquitatem renouaret,& arctiori uinculo coniungeret, fratri sui filiam Aloysio Obicio Lucensi in matrimonium collocauit : unde denique orti sunt , qui permultos annos Lucae Principatum præclarissime tenuerunt. Cum igitur Patauini tam illustris prosapia lucem nouissent,quaæ tum Genuæ sub nomine Fliscorum,tum Lucae sub appellatione Obiciorum, tum Florentiæ,tum Ferrariæ fuerat florentissima ; sibiq; in memoriam reuocarent,quàm iuste,&clementer Patauij prætura à Guliemo Malespina Obicio Luceasi fuisse administrata an. millesimo ducentesimo octogesimo quinto, tunc cum ædes prætoriæ ad aurifices conditæ sunt,& pons lapi deus ad templum Di. Ioannis extrectus est : tandem anno millesimo quingentesimo decimo in ciuitatem suâ Obicios benignissime reeuperunt. Hic mihi licet potius ad Patauij laudem celebrandam,& ad id,quod debo, deprædicandum, quàm ad ullam gloriam aucupandam dicere , hoc præclarū beninitatis,atq; humanitatis institutū, quod semper in hac clarissima ciuitate retentum fuit , quotidie magis usurpari, & benignissime,atq; humanissime usurpatum fuisse,cum in alijs permultis,qui non facile possunt enumerari, Patauinæ nobilitatis iure donatis,& tali, tantoq; beneficio affectis , tu uero etiam in me ipso,qui ob id me plurimum uobis , generosissimi Patauini, debere profiteor, ita ut uestræ beneficentiae memoriam nulla unquam obscuratura sit obliuio. Vt autem ad Obicos redeam,cum multos Heroas , & Imperatores exercituum idcirco omiserim,quòd rerum ab ipsiis gestarum pleni sint libri,plenæ historicorum uoces , plena antiquitatis memoria: eum tamen non prætermitto, qui non sine magna potest reprehensione præteriri , Gasparem Obi-

O z cium,

ris Italiæ, atq; adeo etiam vniuersi terrarum orbis ciuitatibus sapientiæ gloria antecellis , eò magis uti debeas sapientia in affectibus, & animi ægritudinibus compescendis, mox rōteque comprimendo, quem quidem ex Illustrissimi cuius tui morte concepisti: cum præsertim illustris , & peruagata fama, quaæ immortalis erit de eius eximia, singularique uirtute, ualde consolari te queat . Neque uero mihi ipsius fonus, quantum in me est, exornaturo multa admodum dicenda sunt de hac præclarissima urbe, celeberrima eius patria, deq; illustrissima familia Obicia; non solum quia ex eiusmo di ornamenti exiguam claritatis suæ partem uendicare sibi clarissimi uiri consueuerunt; & qui patriam , uel familiam laudat, potius maiores exornat, quàm eum ipsum, qui propositus sit celebrandus: uerum etiam quia & illius laudes ego ipse sæpiissime oratione mea complexus sum:& huius de cora, ac dignitatis insignia clarissimis etiam editis commentarijs illustrata sunt. Quamobrem cum tam sæpe Patauium tum ab originis uetustate, tum à situs opportunitate, tum à ciuium litteraria, bellicaq; præstantia, tum à collegiorum claretate, tum à Gymnasii celebritate , tum ab alijs quæ amplius, ijsdēq; præclarissimis rebus laudauerim: nunc illud unū recensere contentus ero, quòd in iure ciuitatis suæ cū uiris uirtute præstantibus cōicando semper benigniss. fuerunt Patauini, non Thebanorum, non Lacedæm. non Atheniensium vestigijs insistentes, alioquin omnem laudis excellentiam superantium, qui uel nullos, uel paucos in ius ciuitatis suæ ad misisse, hospitesq; etiam expulisse commemorantur: sed præcellentium Romanorum sibi cognitione iunctorum, qui ex Romuli primi Regis sui ueteri instituto ciuitatem plurimis gratuito impertiebantur. Itaque inter alios prope innumera biles etiam nobilissimos, & generosissimos Obicos hæc ciuitas benignissime complexa est, ex Burgundia uetustam originem trahentes . Etenim anno Christi millesimo septimo duo fratres, equitibus præfecti, ab Henrico ij Imperatore in Italiam sunt traducti , & adhibiti in subsidium Benedicti VIII. Pontificis Max. prope de Pontificatu deiecti; alter Obicio, qui in tota Etruria, ac Liguria litorali ad Saracenos de pellendos ipsius uicem gessit Imperatoris, & Lucae initium fuit

cendum datur; quæq; singulæ singulas Crônes requirerent. Quocirca ceteris omnib<sup>o</sup> prætermisssis, & historiæ reseruatis, unam fortitudinis & magnanimitatis laudem, Præfectorum, Ducum, Imperatorum maxime propriam perpendam; quæ uirtus profecto admirabilis tam necessaria est Reip. conservandæ, atque imperio amplificando, quæ humanæ uitæ gubernationi necessariæ sunt manus. Eadem enim uidetur esse ratio uitæ regendæ, & Reip. administrandæ; ut, quemadmodum in illius felici rectione requiruntur manus, quæ multis, varijsq; opportunitatibus seruant: sic in huius prospera administratione eorum fortitudine opus sit, quibus honores, imperia, magistratus committuntur. Ac huiusmodi quidem uirtute ceteræ omnes indigent, quæ pertinent ad Remp. gubernandam, ut parum admodum ualeat magistratum abstinentia, parum innocentia, parum integritas, parum fides, parum etiam ipsa prudentia, nisi adsit animi magnitudo, quæ ipsam Remp. tueatur. Vererer, sapientissimi Patres, clarissimi Doctores, studiosissimi iuuenes, ne illud, quod dicturus sum, non nihil lacerere uestram sapientiam, uestram doctrinam, uestra studia uideretur, nisi fretus benignitate, atq; humanitate animorum uestrorum sperarē vos mihi datus esse hanc ueniam, ut dicam illud, quod tam verum est, quæ quođ verissimum. In Reip. gubernaculis pertractandis plus fortitudo sine doctrina, quam sine fortitudine valet doctrina. Iaq; si uerum fateri uelimus, quæ causa est, cur litterarum exercitationes potissimum in eo requiramus, cui aliquam partem Reip. committamus, quæ præterquam quod s̄ penumero homines à publicis administrationibus abalienant, quantum interest inter uerba, & facta, tantum ipsæ differre à fortitudinis operibus uidentur? præclare Demosthenes in hanc sententiam; Omnis oratio, si res absint, friuolum quiddam uidetur, & inane. &, Omnis oratio nugatoria est, nisi actiones ipsæ consequantur. Quamobrem pro communi utilitate, atque ornamento in primis agendum, sudandum, uigilandum, laborandum illis est, qui Reip. commodum, & dignitatem tueri, atque augere concupiscunt; qui sequuntur rationem uirtutis, non desidiæ, splendoris, non voluptatis; qui non sibi solis, non se cordia, non dele-

ciūm, Equitem perillustrem, omni laudum genere cumulatum, cum Ludouico Areosto, poeta præclarissimo, summa familiaritate coniunctum, & ab eo etiam in ipsius poemate collaudatum; qui cum alias ob eaussas dignissimus esset, quem omnes gentes, & nationes perpetuis laudibus effarent: ob id tamen potissimum eius nomen est prædicādum, quod tantum, tamq; fulgens lumen nobis procreat. De cuius magis proprijs ornamentis (adhuc .n. communia cum multis strictim, ut potui, exposita sunt) mihi breuiter pro angustia temporis dicturo, contrarium prouersus euuenit, quæ oratoriis solerat eueniire. Illi enim cogitare consueuerunt, quid dicant: ego in maxima rerum copia potissimum cogito, quid non dicam. Illi aperiunt, quæ dicturi sunt: ego apriam, quæ dicturus non sum. Itaque non dicam, quanta hic esset innocentia, ut facile posset milites sibi subiectos continere, qui prius se ipsum contineret; quanta temperantia, ut multi mallent Imperatori tam temperanti seruire, quæ alijs imperare: quanta facilitate, ut, qui inter alios eminebat, par infimis uideretur: quanta fide, ut plurimi se, suaq; omnia eius tutelæ committerent: quanta humanitate, ut propter mansuetudinem, ac bonitatem ab omnibus coleretur: quanta in pauperes liberalitate, ut in eis adiuuandis magnam uim pecuniaꝝ quotannis poneret: quanta officij assiduitate in pace procuranda, ut nihil ei gratius, nihilq; iucundius esset, quæ concordiam inter discordes conciliare: quæta diligentia tum publica, tum priuata in amicorum negotijs pertractandis, ut in eis nunquam defessus uideretur: quanta magnificentia in ædificijs extruendis, ut inter alia Cataium à Sperone Speronio in Dialogis tantopere celebaturum magnificentissime extruendum curauerit: quanta benevolentia, & charitate in hanc ciuitatem patriam suam, ut etiā testamento mandauerit, si quando sibi heredes desserent, hereditatem suam sane locupletissimam per Serenissimum Venetiarum Principem, & Excellentissimum Collegium alicui cui Patauino deferendam: quantis denique, & quæ multis alijs uirtutibus fulgeret, quibus tantum enarrandis, nedum pro dignitate exornandis, ne longissimum quidem temporis spatium sufficeret, ne dum hæc breuis hora, quæ mihi ad dicendum

plurimosq; Turcas trucidaturus, si ad litora Veneta accedere potuissent. Quo animi deuoti, & fortis edito documento, uiriliter ex sermone omnium, & celebritate famae per specta, & cognita, facile nimis fuit, ut anno septuagesimo quarto supra millesimum, & quingentesimum ab illustrissimo Senatu Obicius Ductor equitum cataphractorum eligeretur. Quod munus ipse semper, ut omnibus notum est, omnium sumptuosissime, omnium splendidissime, omnium honorificentissime obiit. Cumq; duobus post annis in locu. Eugenij Comitis Horocensis, summi, ut uocant, Collateralis, qui in Leucosia excidio fortissime pugnando occubuerat, sufficiendus aliquis esset, qui tantam dignitatem, quam dignissime sustineret, posthabitis ceteris omnibus competitoribus, quamuis strenuissimis, Obicius electus est: nec propterea munus Ductoris ei ademptum: sed in amplissimo uiro omnibus honoribus quam dignissimo, & nunquam satius honorato duo grauissima munera simul coniuncta sunt; ut, quamuis contra exempla, atque instituta maiorum esse uidetur, plura onera ad unum deferri: tamen illustrissimus Senatus in eiusmodi persona tam præstanti, tam excellenti non consuetudini, sed utilitati, & dignitati Reip. paruerit, & ad nouum casum nouum consilium accommodauerit, eundemq; Obicium simul, & Ductorem equitum Cataphractorum, & summum Collateralem esse uoluerit. O præclara decora, & singularia ornamenta. Neque uero obscurum est, quantum eius consilio, eius prudentia, eius in re militari perspicacitati semper tributum sit. Nihil enim siebat ad rei bellicæ constitutionem & locorum custodiā pertinens, quod uel ex publico decreto cum eo, tamquam uiro prudenter, & fidelissimo non communicaretur. Itaque anno millesimo quingentesimo septuagesimo octavo Iacobo Superantio summo continentis oræ prouisori socius datus est ad propugnacula omnia, militesq; omnes perlungandos: & anno millesimo quingentesimo octogesimo septimo Io. Baptista Montio summo pedestris militiae Imperatori adiunctus ad omnes militum delectus perspiciendos: & ex senatus uoluntate semper adhibitus ad uniuersam rem militarem custodiendam. O uirum eximium, & præcellentem, omnium

delectationi: sed suis ciuibus, sed laudi, sed gloriae natos se esse arbitrantur: cumque litterarum tractatio contemnenda non sit, quæ maximam uim habet ad charitatem patriæ, ad æternitatem animorum, ad præmia fortissimorum hominum suis exemplis, suis rationibus concelebranda: ea tamen armorum tractationi, & fortitudini præferenda non est; cuius laude uel eruditus, & sapientes uiri præstare concupinerunt. Itaque & Architas, & Melissus, & Socrates, & Plato, & Xenophon, sapientiae lumina bellicis laudibus floruerunt: & Pericles, & Themistocles, & Epaminondas, & Scipiones, & Læculli, & Fabij, & Marcelli, & Cæsares, & Bruti, cum sapientiae studijs clarerent, etiam belli fulmina extiterunt: & omnes propemodum confessi sunt, fortitudinem omnium esse dominam, ac reginam uirtutum, quæ in maioribus periculis, & laboribus, magisq; arduis rebus, quam ceteræ omnes, ueretur. Ad hanc admirabilem uirtutem summo cum splendorē, & ornamento exercendam Pius Aeneas Obicius maximas, qui bus affuebat, diuitias prope incredibili sua cum laude, atq; oīum admirōne sibi esse cōferendas censuit. Quare superiori proximo bello Turcico, quo Sereniss. Resp. Veneta ualde est perturbata, præterquam quod inter illos, qui magnam uim auri ad armam classem, & comparanda militum præsidia Principi obtulerunt, multum & ipse in publicum contulit, magnaq; liberalitate usus est; cum Turcica classis uel in ipsum Adriaticum sinum cursum, atq; progressionem faceret, & non solum insulas diriperet, nerum etiam Venetas ipsas, si uictoriā de Christiana classe reportasset, oppressura esse uideretur; armantibus ob eam caussam prudentissimus Venetis litora sua, & præstantissimo Senatore Vincentio Mauroceno summo delecto Imperatore ad urbem tutam, ad populum Venetum, ne ad aliquem hostilis uictoriæ rūmorem tumultuaretur, confirmandum, ad litora custodienda; statim Pius Aeneas Obicius huius Reip. amantissimus, studiosissimus, obseruantissimus, cum magna manu militū suis sumptibus armatorum & cum magnis, ac prope infinitis impensis accurrit, præstantem operam nauaturus, & sanguinem etiam, ac uitam ipsam, si opus fuisset, profusurus,

pluri-

cohortatis, & hoc insigne officium ei meritissimo praefestis, vestri in eum amoris, vestrae obseruantiae, vestrae pietatis argumentum: ita cuius consuetudine amplius frui non potestis, eius amplissimum nomen perpetuo in ore habete, eius virtutes depraedate, eum imitamini, ad eius splendore, quantum potestis, actiones vestras conformato: illustrissimam vxorem Eleonoram incredibili quodam dolore, eodemque iustissimo confectam honesta uiri prædicatione conformati, etiamsi ipsa sua sponte, suo consilio, sua prudentia, sua mentis altitudine multum consolari se queat, excellentissimo ingenio matrona, communi omnium iudicio ad regendum prope imperium, ne dum familiam gubernandam per idonea: perillustrem filium Robertum amate, qui parentis, maiorumq; suorum simillimus erit; qui ueram laudem, ueramq; gloriam in sola uirtute positam sibi sequendam statuit, qui patriæ decus, & ornamentum afferet: gratissimos, & officiosissimos Academicos Oplosophistas collaudate, qui cum eo Duce, & Tutelari vni sint, dum licuit, una cum periculis lustris, & sapientissimo Comite, Iacobo Zabarella, Philosopho per totum terrarum orbem suis scriptis, suaq; doctrina celeberrimo, mœstissimi adesse omnes in funere uoluerunt; honorem suo præsidi, ac parenti meritissimo habuerunt, quem maximum potuerunt, singuli singulos cereos gestando, secumq; ducendo suos tympanotribas cum tympanis dissonis, suos tubicines cum tubis flebiter stridentibus, ceterosq; Academias administratos cum maioribus cereis; ita funus cohonestarunt una cum cetera funebri pompa, ut ad id spectandum oppletæ sint undique uiæ, & plateæ, occupati porticus, & fenestræ, factus omnium cuiusq; generis, ætatis, ordinis, sexus, fortunæ, conditionis hominum concursus, & totum Patavium prope sedibus suis conuulsum sit ad honorandum ciuem, & patronum suum, orationem etiam habuissent, ut ualde optabant, si locus datuſ fuisset; denique ad beatam ilam animam cœlesti, ut certo putatur, beatitudine perfrenuentem tota mente conuersi Hector, & Darius Boromei, illustres consiliarij; Marcius Leonius, præclarissimus Syndicus; Camillus Capilistius, magnanimus Thesaurarius; ceteriq; generosissimi Academicici sic fari uidentur; Petimus à te, Dux,

P & Tu-

omnium gentium, ac nationum litteris, & uocibus celebrandum. O sumnum Patauinæ ciuitatis splendorem. O Pium uerum pium in patriam, & Rem publicam: Aeneam Aeneæ Troiani in ipsa pietate exercenda imitatorem: Obicium obicem hostium, si eo diutius uiuente uti aduersus hostes licuisset. Qui cum ita extinctus sit, ut in uita eluxit, id est, quam honestissime, anno ipso climaterico plerisque senioribus pernicioso; mortemq; non modo non horruerit, ut horrere omnes tamquam rerum omnium maxime horribilem solemus; uerum etiam ut uere fortis, uere pius, uere Christianus, pro comperto habens ipsam non esse interitum omnia tollentem, atq; delentem: sed quandam quasi migrationem, commutationemq; uitæ, tam bonis bonam, quam malis malam, fortissime oppetierit: iustus quidem est illustrissimi senatus mœror in Georgio Contareno illustrissimo præside representatus; iustus uniuersi Patauij dolor; iusta illustrissimæ uxoris Eleonoræ Martinengæ, perillustris filii Roberti, charissima marumq; filiarum acerbitas; iustæ militum querimonia, cu[m] suis equis atratis, alisq; insignibus mœroris, cu[m] suis tubis, & tympanis pene mutis, cu[m] suis uexillis depressis; iusti pro pinorum, & amicorum gemitus, & singultus; iusta hæc publici mali facies; iustus huius augustissimi templi habitat lugubris; iuste omnia acerba, omnia misera, omnia luctuosa, unde hæc ipsa officia merito iusta nuncupantur; iuste omnes mœremus propter maximum acceptum detrimen tum, propter tanti splendoris priuationem, propter acerbis siuum malum nobis illatum morte huius illustrissimi viris uerum, cum mors in bonis viris dux in cœlum esse soleat, ipseq; ob maximas, clarissimasq; uirtutes suas in cœlum ascendiisse his ipsis solemnis Ascensionis temporibus sine dubio credendus sit, ubi sempiterna beatitudine perfruatur; cum ei euenerit illud, quod omnibus mortalibus euenturum est; cum frustra confici mœrore non debeamus; cum ita præpotenti Deo placuerit, ut tanto bono careremus; reuocate animos ad sapientiam, & prudentiam uestram, sapientissimi, & prudentissimi Auditores, mecumq; statuite, quidquid contingit, in diuina uoluntate semper esse conquiescendum; &, quemadmodum hoc illustre funus maximo concursu uestro coh-


& Tutelaris noster illustrissime , pro illatua singulari , atq;  
 incredibili in tuos ciues, in tuos filios, in tuam Academiam  
 charitate, ut hoc officium, quo erga te hodierno die fungi-  
 mur, dum maiora præstare non possumus , mitissimo illo  
 tuo uultu, & placidissimis oculis respicias: cumq. maximum  
 lumen tuum, aliena illustratione non egeat, laudatusq. fue-  
 ris potius, ut ingrati animi crimen uitaretur , quæm quod  
 laudes tuæ minus paterent , satisq; constet, te ab illustrissi-  
 mis maioribus ortum nequaquam ab illorum splendore de-  
 generasse, omni uirtute præfulgentem, omni laude prælucē-  
 tem, omni excellentia præstantem , omni præstantia excel-  
 lentem, nos ipsos in primis excusatos habeas, si in hac orna-  
 tissima populi frequētia minime, quod maxime uolebamus,  
 præstare potuimus , ut plene officio nostro satisfaceremus:  
 tuamq. Academiam, quæ tuo ductu, tuaq. tutela semper glo-  
 riata est, semperq. gloriabitur, quæ te orbata te deside-  
 rat, diuq; desiderabit, quæ illis tamen bonis, qui-  
 bus te in cœlo perfrui certo credit, summe  
 lætatur, præpotenti Deo cum tota pa-  
 tria, totaque familia tua com-  
 mendare ne desistas.



Habita Patauij in Templo Di. Antonij XI.Kal.  
 Junias, M. D. LXXXIX.



I N



58

In Obitu  
**I A C O B I**  
**Z A B A R E L L A E**  
 Patauini  
**ANTONII RICCOPONI**  
 Oratio.



N tam misero, funestoq; malo, Aud. in  
 tanta , tamq; graui iactura, quis non  
 magna animi , & corporis perturba-  
 tionem commoueatur? Quis lachrymas  
 continet , cum communem huius  
 Ciuitatis calamitatem ante oculos ha-  
 beat, & summum Potauij decus; atq;  
 ornamentum in conspectu omnium  
 iacere conspiciat? Quod, si cetera animantia, cum, quod sibi  
 bonum quoquo modo sentiunt, amiserint, non poslunt nō  
 dolere, & dolorē suum uel uoce, uel gestu significant ; quid  
 nobis faciendum est, qui , quoniam sumus compotes ratio-  
 nis, intelligimus hoc commune bonū non uni , uel paucis,  
 sed multis, & nobis omnibus, sed uniuersæ huic Ciuitati, u-  
 niuerso Philosophorum Collegio, uniuerso Gymnasio Pata-  
 uino, immo uniuersæ Reip. Venetæ , immo uero etiam uni-  
 uersæ Reip. litterariæ coincidisse? Dolendum est, Aud. do-  
 lendum; plus enim uno die, una hora, uno temporis momen-

P 2 to

uncto me esse sentiam; ut, qui maxime oīum mō reo, mihi minime omnium loquendum, immo maxime oīum obmu tescendum esse uideatur. Quid. n. prāstare potest animus mō reis, totus molestia, atq; ægritudine conturbatus? Verumtamen, cum ad me potissimum uentum sit, cui propter munus, quod obeo, ueteris tradendæ eloquentiæ, aliqua eloquentiæ uis esse deberet, angerer profecto mirandum in modū. Aud. excruciaremq; me, quod nullam satis iustam afferre excusationem quiuerim, quominus hoc onus subirem, nisi intellegarem me in eo uersari arguento, quod omniē superat eloquentiæ excellentiam; ut, si nemo est tanta præditus eloqua ria, qui satis pro dignitate queat tanti doctoris laudes celeb rare, ne ego quidem, quamuis eloquentiæ studiosus, in magna admodum reprehensionem incurrere posse uidear, si non omnia oratione complecti potuero. Accedit, quod multa sunt, quæ ad eius pertinent exornationem, ita nota, & explorata, ut longiori commemoratione non egeant. Cui .n. per Deum immortalem non patet vrbis Patauīj, ubi ipse nobilissimo loco ortus est, antiquitas, & splendor? Quem præterit familiæ Zabarellæ nobilitas, & celebritas? Ac illam quidem tam sæpe, & tantoperea me non solum ex originis vetustate, qua vel ipsam superat gentium principem Romanam, & situs opportunitate, verum etiam ex gymnasij frequentia, ex collegiorum auctoritate, ex Liuījs, Paullis, Stellis, Flaccis, alijsque celebratissimis viris celebratam, nunc satis sit dicere lumen esse Mundi clarissimum totam Italiam, ac totum terrarum orbem doctrina sua collustrans, ne Athenarum quidem claritati cedens clarissimorum ciuium multitudine, & præstantia. In hac vero tam multi claruerunt omni laude præstantissimi viri, vt ne longo quidem volumine, nedū breui orōne, enumerari, nedum exornari posse videantur. Prætermittendum tamen non est, hanc ipsam ex nobiliss. vrbe Bononia originem duxisse, & prius ad Saccensem Comitatum, inde Patauium traductam esse. Et. n. præstantiss. Eques Callorius, primum Sabadinus (fuit. n. familia Sabadina vna de nobilibus familijs Bononiæ) deinde Zabarella nuncupatus, in maximis Italiæ motibus anno Christianæ salutis octogesimo supra millesimum, & centesimum, satis diues, & opulentus, quem-

to ablatum est, quād quod pluribus mensibus, & annis, ac seculis recuperari posse uideatur, dum eū mors uirum nobis præripuit, quem qui æquent, nedū superent, non solum in tota hac urbe ex uniuerso ciuitum numero nulli, uerum et in toto terrarum orbe cōmuni oīum iudicio pauci reperiuntur. Heu iaces, magnum columē familiæ, & patriæ tuæ. Iaces, Iacobe Zabarella, Comes perillustris, extinctus studio sæ iuuētūti, quæ te de superiori reloco disputatē frequētissima audiebat: extinctus omnibus Dialecticæ, & Philosophiæ, quot quot ubique sunt, studiosis, quibuscum scripta tua, sane egregia, & præclara, cōmunicabas: extinctus Philosophorū Collegio, in quo tamquām in cœlo sydus fulgebas: extintus Senatui Patauino, quem nō tāquām Philosophus ineptus, & nimium solitarius, sed ad publicū cōmodum, ac dignitatem natus, sapientissimis cōsiliis tuis adiuuabas: extinctus nobilissimæ Oplosophistarum Academiæ, cui tanquām parēs, ac prope Deus oīum cōmodorum, atque ornamentorū præsidebas: extinctus propinquis, atq; amicis tuis, quos præstanti, atq; excellenti opera tua destitutos reliquisti. Lugeat igitur hunc casum communiter omnes: defleant hanc misericordiam simul ciues, & peregrini: atq; hunc interitum nemo nō conqueratur, & lamentetur: huncq; præstantissimum uirū sic iacentē conspiciens nemo non effundat flumina lachrymarum. Equidem, cum mihi onus impositum sit, ut tanti ui ri funus oratione mea exornem, posteaquām ueni ad præclar a eius decora, & dignitatis insignia pro uiribus meis celebranda, tā uelementi dolore impediōr, ut potius ad luctum, & ad lachrymas me uenisse animaduertā. Habeo .n. cōplures dolēdi cauſas, non solum cum aliis cōmunes, uerum et meas ipsius proprias: non solum eo nomine, quod eius laudes meis expressurus uerbis de ipsius uirtutibus diligentius cogito, ac cōmune malum attentiori cogitatione cōprehendo: sed et nomine tam præstantis amici mei, quod exercere maximam præstantiam suam ad communē hōnum utilitatē diutius non potuerit: nomine hujus Ciuitatis, quæ cum mihi patria sit, si nō originis, at saltem iuris, quantum mihi met decoris atrulit, & ornamenti, tantum dolore suo auget dolorum meum: denique nomine meo, quod imparem oneri in iuncto

quemadmodum res ipsa comprobauit, ad Saccense oppidū se recepit, ut in tuto esset, in ualescentibus per totam Italiā factionibus Alex. III. Pont. Max. & Frider. Imp. quæ vel post ipsius Pontificis mortem aliquandiu perdurarunt. Neq. uero post Callorium defunctū in Plebe Sacci anno millesimo ducentesimo duodecimo, eius liberis tutum fuit, domicilium rerum suarum Patauium transferre, sanguine tyrannide Acciolini. Sed, cum Rolandus eius filius circiter annum millesimum ducētesimum vigesimum fuisse religiosiss. Adriæ Episc., Beatiq. Bellini, Episc. Patauini, quem Peninsula Rhodigina sanctiss. habet Tutelarem, miraculorum propagator p̄fissimus, tandem Carrariensisbus rerum potitis post annos mille trecentos, Bartholomæus I. summa illorum beneuolentia, ac prope incredibili adductus studio nobiliss. domiciliū Patauij collocauit; ubi dici non potest, quām multi ex familia Zabarella, tamquām ex fonte uberrimo, profluxerint, omni laudis excellentia, siue rem ecclesiasticam spectes, siue militarem, siue Theologiam, siue Philosophiam, siue ius diuinum, siue humanum, siue alia honesta studia, ornatisiss. i. Nā, vt omittam Ioannem ordinis Prædicatorum eximium, Theologum sumnum, cura B. Io. Vicetini, qui fuit Di. Domini ci discipulus, in studijs Philosophiæ, & Theologiæ ad excellentiam progressum, anno quinquagesimo ultra millesimū, & trecentesimum Conuentui Patauino Præfectum, qui qui dem & publice docendo, & concionando, & uita, & morib⁹ mira documenta dedit summæ doctrinæ, & virtutis: vt prætermittam Laurentium Bartholomæi I. fratrem, & Francisci IIII. Cardinalis patrum, præfulem regiosissimum, qui ex vita excessit ann. 1396. & Bouolentæ sepultus est, his versibus de eo sculptis.

*Huius presul erat sacra Laurentius adi,  
Cui dedit egregium iā Zabarella decus:  
ut taceam alios quām plurimos, eosdemq; clarissimos Zabarellas, quos commemorare longissimum esset: duo certe Florentiæ Archiepiscopi, Franciscus, & Bartholomæus II. silentio prætereundi non sunt. Ac ille quidem fuit non solum Iurisconsultus, & interpres, ac scriptor egregius: uerū etiam,*

etiam Archipresbyter, & Canonicus Patauinus: tum à Consiliis Venetæ Reip. nimis post deditam hanc Venetis Civitatem; in qua deditio luculentissimam habuit orationem: tum anno octavo supra millesimum, & quadringentesimum vniuersi Cleri suffragijs Patauji Episcopus designatus, missisq; Bononiam ad summum Pontificem Legatis admirabili studio expetus, quamvis in cedenda alteri ea dignitate Venetæ Reip. libenter morem gesserit, magis contentus, quod dignus Episcopatu agnitus esset, quam si Episcopatum adeptus fuisse, quem Pontifex vel ipsorum Venetorum rogatu Abbatia Prataleæ donauit: mox Florentiæ Archiepiscopus factus: denique in Cardinalium numerum receptus, ac summus Pontifex expectatus. Cum enim à Ioanne XXIII. Pont. Max. ad Concilium Constantiense Legatus missus esset, & pro Ecclesiæ quiete, atq; tranquillitate in credibiliter laborasset, pacemq; Reip. Christianæ optatissimā confecisset, in locum abdicati Io. Purpurati Patres eū electi erant, si libera ipsis fuisse eligendi facultas, orto impedimento ex senis additis in illa electione pro singulis Nationib⁹, Italorum, Gallorum, Germanorum, Hispanorum, atque Britannorum, à quibus Martinus V. est antelatus. Merito igitur Vidus Pancirolus Iurisconsultorum nostri temporis coryphaeus (quem sane uenerandum senem honestatis, amplitudinisq; gratia nominatum uolo) in elegantissimo, quem conscripsit, libro de uita, & moribus clarorum recentium Iurisconsultorum, eum summis laudibus effert, tamquām iuris Pontificii in Gymnasio Patauino, & Florentino interpretem celeberrimum: scriptorem clarissimorum commentariorū in ius Pótficium, & naturalem Philosophiam, clarissimaruq; orationum, atq; epistolarum; oratorem summum ad grauisima negotia pertractanda adhibitum: non solum ad Archiepiscopatus, uerum etiam ad Cardinalatus dignitatem obsummā sapientiam suam euectum: Cardinalium studio dignum habitum Pontificatu ante Martinum V. denique Constantiæ, quæ urbs est Magūtinæ Provinciæ, ubi sacra Synodus celebrabatur, mortuum, maximo oīum mœrore, ac prope incredibili vel ipsius Sigismundi Cæsaris dolore, qui grauisima sua præsentia, & Cæsarea Maiestate eius funus coherestare

Perfecturam splendidissime gesit: & Patauij potestate ad Sc  
renissimā Venetā Rép. traducta, prim⁹ fuit Brixiae Præfetus.  
Neque uero hic solus fidelitate, atq; obseruātia Venetā Reip.  
satisfecit: sed & ceteri oēs, & in primis Iacobus III. iuris di-  
uini, atque humani consultus, & eques; qui, cum anno nono  
supra millesimū, & quingentesimū res Veneta ita ferret, ut  
ex Vrbe Patauio cedendum esset, relicta patria, liberis, atq;  
opibus suis, una cum urbīs Præsidibus, ceterisq; nobilibus  
Venetis nauim. concendit, Venetiasq; se contulit, neque an-  
te suis ipsius rebus potiri curauit, quād Patauium in Vene-  
torum potestatē est restitutū. O sūmā familiæ Zabarella in  
nomen Venetū propensionē; quæ simul causa fuit, cur in  
illa memorabili uictoria ad Echinadas de Turcis relata āno  
millesimo quingentesimo septuagesimo primo inter fortis  
illos, & animosos, qui honestam uitam cum gloriosa morte  
cōmutarūt, numeratus sit Petrus Zabarella, qui proauī sui  
uestigiis insistens suis ipsius sumptibus classē secutus pro Ve-  
netā Rep. & Christi fide sibi oīa pericula subeunda esse existi-  
mauit. Quid recensem huius benignitatem familiæ in suos  
domesticos, atque familiares, ut uel suo nomine, atq;  
Insigni donauerit eximium Theologum Paullum Zabarellā, ordinis  
Eremitarum S. Augustini, qui postea fuit Episcopus Argoliensis,  
cuiusq; honorificum sepulchrum cernitur in Eccle-  
sia ipsorum Eremitarum? Quid dicā opes, & copias eiusdē  
familiæ, quæ tot illustres uiros alere semper potuit, usque  
adeo, ut cum anno millesimo quadrungentesimo uigesimo  
primo, iussu Veneti Senatus bona Patauinorum ciuiū cēserē  
tur, seruata eadē ratione, quæ dominātib. Carrariensisbus fue-  
rat instituta, ut de ditionibus quattuor, de mediocrib. toti-  
dem, de tenuiorib. itidē quattuor censum facerent, Ioannes  
Zabarella inter opulentiores fuerit numeratus? Neque sane  
diuitijs, atque opibus abundare non potuerunt Zabarella,  
quippe qui non solum Carrariensisbus, sed etiam Polentanis  
affinitate fuerunt, necessitudineq; coniuncti. id quod cū alijs  
in omniū Aquila, quā in gentilitio Insigni pīctā gerunt, à  
nobilissima illa familia, quæ Rauēnā dominatū diu obtinuit,  
accepta significare satis uidetur. Quid alia huius familiæ de-  
cora, atq; ornamenta enarrē, quā cōstat plurimis sēp omni

Q genere

nestare grauatus non est, tunc cum Pogius Florentinus, vir  
disertissimus, eum in funere laudauit. Alter uero Florentiæ  
Archiepiscopus, ex Andrea Francisci fr. ortus, iuris quoque  
Pontificii in Gymnasio Patauino præcellentissimus explicator,  
cum fuisset, ut appellant, Referendarius Apostolicus, &  
Archiepiscopus Spalatinus, atq; in Concilio Florentiæ cele-  
brato rē ecclesiasticam mirabiliter adiuuisset; summō Ponti-  
fici Eugenio iv. ita charus erat, ut ab eo in Cardinalium nu-  
merum sine dubio cooptandus esse uideretur, nisi, dum esset  
in Hispania Legatus, immatura morte ablatus fuisset. Atque  
hic ille fuit, qui, dum Archipresbyter, & Canonicus esset,  
nobilissimam aram in Principe Ecclesia Patauina Deo Opt.  
Max. sanctisq; Apostolis dicauit, idonea q; dote ornauit, ac  
Sacellum ab Episcopo, Canonicorumq; Collegio impetra-  
uit, ubi familiæ suæ sepulchrum constitueretur. In qua qui-  
dem ara Antonia Francisci soror, & Bartholomai amita, ce-  
leberrimam illam Beatissimæ Virginis imaginem, legatam  
Ecclesiæ, collocandam mandauit; quam in populi supplica-  
tionibus educatam, aut magnorum, & assiduorum imbruum  
per Deum, cum opus est, expultricem, aut humidi temporis  
effectricem, uniuersa hæc ciuitas merito ueneratur. Taceo  
Zabarellam Andreæ iij. filiam, quæ quidem experta, quantā  
calamitatem senilis ætas secum afferat, iugera, & domos ma-  
gnæ aestimationis in singulos annos ei, qui in familia Zaba-  
rella senior esset, in perpetuum legauit. Floruerunt & alii  
permulti in familia Zabarella Iurisconsulti præcellentissimi;  
& præcipue Bartholomæus III. qui propter excellentem præ-  
stantiam suam fuit tum Florentiæ Præfetus, tum Ferrarie  
Prætor: & Marinus in hac ipsa Ciuitate Decretorum inter  
pres egregius, cuius quidem cum effigie marmoreum monu-  
mētum spectatur in hoc augustissimo templo ad sacrarium:  
& posterioribus temporibus M. Antonius, Eques perillu-  
stris, qui & ipse in patria sua multis annis ius Pontificium  
cum maxima sua laude explicauit: & tam multi alii, ut enum-  
erari uix, aut ne uix quidem posse uideantur. Quid com-  
memorem Zabarellas armorum decore insignes, atque inter  
ceteros Petrum huius nominis III. qui & Patauij dominatē  
Francisco Carrariensi posteriore, cuius sororius fuit, militum  
Præfecturam

deat, oīa ēt procurat, & moderatur; idcircoq; non solum sapientissimus, sed ēt optimus, & maximus nuncupatur. Quā rerum procreationem cū diuina sapientia coniunctam sumus Philosophorum declarauit Plato, cum scripsit, Deum per secundas cauſas globos cœlestes impellere, & afflatus suo in aīmis hōnum tum contemplandi, tum agendi artem excitare: cum tradidit, eundem per Prometheus homines illustrasse, per Epimetheum bellugas exornasse: cum commemoравit triplicem diuinam prouidentiam, unam nniuersaliter sumo Deo tributam, alterā minus uniuersalē in mentibus globorū cœlestium cōstitutā, tertīā singularē ad bonos dæmonas pertinentem. Quid dicā de Philosopho? libenter loquor de philosopho, Aud. quia in summi Philosophi ludi bus uersor. Nonne philosophus ita philosophatur, ut & intelligat, & agat? nonne eius officiū possum est tā in rebus diuinis, quoad eius fieri potest, cognoscendis, quām in humanis gubernandis? nonne ita contemplandi rationem sequitur, ut agēdi munus deserere ne uideatur? Et uero philosophus non solum absolutā, & perfectam boni nām contēplatur: uerum ēt ad id bonum oēs hōnum actiones confert; atq; in illo quidem munere obeundo uirtutum omnium regina utitur sapientia: in hoc autem altero adhibet prudentiam, & iustitiam. nam ut contemplatio sapientiae propria est: sic rerum procuratio à duabū uirtutibū pendet, quarū altera suis docet consiliis, quomodo homines tum ad bonū adducantur, tum à malo abducantur, & prudentia dicitur: altera humanas temperat affectiones, & actiones, iustitiaq; nominatur. Itaq; sapientia bonum iñuenit: prudentia hominum animos ad bonum dirigit: iustitia homines ipsos rē domesticam, & publicam ad bonum perducit. O admirabilem cognitionis, & actionis societatem. Qua quidem societas Iacobus Zabarella ita semper est delectatus, ut nunquam illorum factum probauerit, qui toti in litterarum studiis abditi nihil ad ciuium suorum salutem, & commodum hauriunt; dumq; otium complectuntur, omne negotium spernunt; & imitantur Carneadem, quem mirifice doctrinæ operibus addictum etiam cibi capiebat obliuio: imitantur Archimedem, qui nomen suum indicare, ne tum quidē,

Q 2 cum

genere laudis præstantissimis uiris fuisse affluentissimā, atq; adeo numerosam, ut in omni honesto uitæ genere plures sēp habuerit excellentes? Ignoscite mihi, Zabarella generosissimi, si nunc necesse habeo & maximū numerū maiorum uestrorum pp breuitatē tēporis prætermittere: & uos ēt oēs, qui uiuitis, silentio præterite, religiosissimos Archipresbyteros, magnificētissimos Equites, perillustres Comites, præcelentissimos Doctores, oīum generum præstantissimos Heroes: cum.n. me paullo puectum à portu longius in altum subitus quidam dē quibusdam maioribus uestris dicendi æstus abduxerit, nunc ad se uocat, & impetu quodā rapit orationem meam is, cuius gratia ipsa instituta est, Iacobus Zabarella, Comes perillustris, uir sapientissimus, Philosophus per uniuersum terrarum orbē suis scriptis, suaq; doctrina celebratissimus; qui splendore quidem generis uestri multum est illustratus: sed plus generi uestro luminis attulisse, quām ab eo accepisse sine dubio uidetur. Is originem trahens à Iacobo IV. illo, qui propter maximas, clarissimasq; uirtutes suas à Maximiliano Imperatore factus est Comes cum filii, & posteris omnibus primogenitis: clarissimo Parente natus, Comite Iulio in equestribus certaminibꝫ præcellentissimo, non solum cā linguam optime tenens, quā sibi Etrusci nunc uendicant, una cum Hispania, uerum ēt litteris doctus tum latinis, tum græcis, tum hebraicis; tanta memoria præditus, ut multos uersus semel auditos memoriter recitaret: cum intelligeret, duabus potissimum rebus hominem prope ad Dei conditionem accedere, ueritatis cognitione, & rerum administratione, eam uitæ rationem iniuit, ut se Deo, quantum fieri posset, simillimum efficeret; & quotidianis laboribꝫ, atq; assiduis uigilijs suis quām maximam sapientiam cōpararet, simulq; ad humanas actiones, ad familiæ gubernationem, ad Reip. munera obeunda aptissimum rediceret. Cognitio. n.cū actione cōiungenda est. quod cum appareat exemplo prætentis, & imortalis Dei, ēt Philosophus, qui se ad Dei imitationē, quantum potest, conformat, simul cōteplatur, & agit: ēt Iacobus Zabarella, qui ab ineunte ætate ad Philosophiæ excellentiam felicissime animū appulit, cū studio cōteplationis studiū cōiunxit actionis. Etenim Deus, cū oīa intelligat, & uideat,

cum maxime necessarium esset, potuit: imitantur Democritum, qui se occœcauit, ut quām minime animus à contéplatione abduceretur: imitantur alios stultos Philosophos, qui stultitia sua apud ineruditū vulgus eruditorum nomen sunt consecuti. Non sic Iacobus Zabar. sed ita contemplatus est, ut humanas non desereret actiones: ita egit, vt suis temporibus contemplaretur. O virum vere natum ad contemplandū, & ad agendū. O Philosophum ad Dei imitationem probe effictum, & conformatum. O palcherrimū summi Philosophi exemplum oībus sapientiæ studiosis imitandum. Iam uero cū in studijs Dialecticæ, & Philos. plurimū profecisset, & admirabilem cursum, atq; progressionem fecisset ad excellētiam, annos natus viginti, cum maxima vniuersi Philosophorum Collegij admirōne, probata cōiter eius præstantia, & data ilustri significatione futuri progressus ad oēm litterariam dignitatē, Philosophi insignia est consecutus: nec, posteaquām Philosophus renunciatus est, desidiæ se dedit: sed quasi nihil sciret, qui tamēn alios docere posse fuerat declaratus, tamq; Socr. Anaxag. Emped. qui nihil se scire profitebantur; tamq; Democr. qui ueritatem in profundo demersam esse dicebat: tamquām Arceſilas, qui ne illud quidem se scire aiebat, quod sibi exceperat Socr. ; recordatus, quod scripsisset Plato, maiorem esse hominis ignorantiam, quam scientiam; non oblitus, quod tradidisset Arist. illam, quam hanc esse magis propriā hominis; memoria tenens, quod testatus esset Themistius, maximam partem eorum, quæ scimus, minimam esse ad ea, quæ ignoramus; ita totis viribus, totis neruis, tota animi, & corporis contentionē sapientiæ studia secutus est, ut per totos decem annos in Logica facultate diligentius excolenda, in Philosophia accuratius p̄ertractanda, in rerum causis altius peruestigandis summopere elaborauerit; tandemq; anno ætatis suæ trigesimo, tamquām præcellentissimus Logicus, & Philosophus, illuſtrissimi Senatus Veneti decreto adhibus fuerit ad Logicam primum, deinde Philosophiam publice interpretandam. Quo quidem publici interpretis munere sex, & uiginti annis cum summa gloria perfunditus, dici non pōt, quam honesto auditorum concurſu fuerit semper auditus, quos tamquām filios, vel fratres vnicē diligebat,

nomi-

nominatim salutabat, & ad p̄æclara litterarum studia amanissime hortabatur: quantam auctoritatem habuerit inter auditores suos, quem aspectabant, cuius ab os oēs ora obuerterunt sua: quantas eorum assensiones, quantas admirōnes, quātos applausus reportauerit, vt, quemadmodum apud Pythagoreos illos, contra quamlibet firmissimam rōnem plurimū valebat illud, Ipse dixit: ita ipsi oēs Iacobum Zab. tamquām Pythagoram colerēt. Optimā aut̄ Philosophandi rōnem non ignorans, nunquam egregium se Philosophum fore existimat, nisi optime sciret eam facultatem, quæ efficit, vt homo vere Logicus, & ratione utens, ac uerus, & nō homonymus homo appareat; qua qui prædictus est, ex recta scit ratione loqui, rem definire, genera dispartire, de unaquaque re argumentari, uera, & falsa diiudicare. Itaque cum is, qui excellit in Logica, simul excellere posit in Philosophia, non est mirum si ex maximo Logico maximus Philosophus factus sit. Neque uero ita philosophatus est, ut se Christianum ēē obliui sceretur: sed oīa ad Christianam ueritatem referebat; sēp̄christianam pietatem cum humana sapientia coniungebat; nec minus bonus, quam doctus & uideri, & esse cupiebat, exēplo Socratis, Xenophontis, Platonis, Xenocratis, Callisthenis; exēplo Epicteti, Plutarchi, Musonii; exemplo aliorum, qui quidem non minus morum probitatem, quam doctrinam profesisi sunt; immō exemplo Patrum sanctissimorum: ita in pie, ita Christiane se gesit, ut & singulis saltē mēfib. sanctissimum Eucharistiæ corpus sumeret; & singulis diebus dominicis interesset piis congregationibus, quæ apud reuerendos Patres Iesuitas fiunt; & quotidie duarum, uel trium horarum spatio genibus flexis ad Deum pias orationes haberet. Cumq; in omnibus Philosophiæ partibus excellentissimum se ostenderit: dici tamen non potest, quantum excelleret in Astrologia, & futurorum euentuū p̄dictione, quoad incertae natura, & Catholicæ sidei p̄scriptum pateretur: quantum in obseruatione illorū igniū sép̄ternorū, quæ sydera, & stellarū nuncupantur: quātum in cognoscendo motu illarū stellarum errantiū, quas non imerito Fridericus I. maximus Imperator familiæ Zabarella p̄ Insigni cōcesfit, ut maximus eius splendor significaretur; qualsq; mérito Iacobus Zabarella

contem-

cotéplabatur, tāquām in familiæ suæ Insigni sibi propositas  
cotépladas, ad principatū celebri gradu currēs in Rep. littera  
ria, Familiæ Zabarellæ maxime cōgruētem, et per Leonem,  
et per Aquilam in eodem Insigni egrege significatū. Hic, ut  
omittam eo duce, atq; auctore in studijs Philosophiæ quātū  
plurimos, ac prope innumerabiles iuuenes ad excellentiam  
puenisse: silentio certe non sunt prætereunda sex immortalia  
eius opera, signata ad gloriam sempiternam, pleraq; sāpe uel  
in longinquis, & remotis regionib. edita, ac oīa, sāpius eden  
da, primum Tabulæ Logicæ: deinde Opa Logica: præterea  
Cōmentarij in duos Arist. libros Poster. Analyt. tum de Or  
dine doctrinæ Apologia: tum de Constitut. nālis scīæ liber:  
deniq; triginta libri in Nālem Philosophiam nunc typis im  
pressi, nondum quidem publicati, sed cum maximo studio so  
rum commodo, atq; incredibili ad eius gloriam accessione  
propediem diuulgandi. O Philosophum laboriosiss. nunquā  
fatis defessum ad cōem studiosorum vtilitatem. An vero, cū  
publicæ disceptationes eum maxime impeditent: cum priua  
tæ lucubrationes eum ualde occupatum tenerent; idcirco  
ipse à rei familiaris gubernatione, à patriæ suæ administrōne  
videtur se abduxisse? Minime vero: sed tempora ita dispergi  
uerat, ut præter somnum vitæ necessarium, & eum perbre  
uem imitans. n. Demosthenem dolebat, si quando opifcum  
antelucana forte se uitum esse industria adiuertisset) præ  
ter diuina officia, quæ nunquam vlla de causâ intermittebat;  
partim daret præclarissimis studijs suis, & librorum scriptio  
nib;: partim publicis explicationibus, & auditorib; suis omni  
studio, atq; opera adiuuandis; partim vero rei domesticæ pro  
curōnibus, tamquām bonus Oeconomus, tum domi, tum ru  
ri liberalem, & ingenuam operam nauans: partim vero et pa  
triæ suæ functionib; tamquām perfectus Politicus, modo ad  
vtilia huius Ciuitatis Sapiens Deputatus; modo grauissimis  
de reb; Legatus; modo hoc, modo illud publicū munus præ  
clare gerens; modo bona ad celeberrimam illam arcam Di  
Antonij gloriōsiss. pertinentia, diligentissime gubernans; mo  
do illustri Academiæ Oplosophistarum egregia documenta  
præbens ad singularia immortalitatis præmia consequenda;  
modo hoc, modo illud agens; & nunquam quiescens. Hæc est  
uera

59


vera philosophia simul contemplari, & agere. Hæc vera felici  
tas, non solum rerum consideratio, sed etiā administratio;  
oīnoq; vt tradebat Philosophus, actio animi rōne vtentis ex  
virtute perfectissima in uita perfecta. Hæc similitudo Dei,  
quoad humana natura patitur. Hæc illa Philosophia, quæ  
non solum eorum oīum, quæ sunt, affert cognitionem; non  
solum humana percurrit, & vsq. in cœlum penetrat contem  
platione; non solum mentem reuocat à sensib; , īum abducit  
ab inati bus voluptatibus, hominem conuertit ad sui cogni  
tionem, ad cœlestium mentium imitationem, ad Dei medita  
tionem, ut ipse in se moriatur, in Deo reuiuiscat: verum et hu  
mana oīa gubernat, & oīs doctrinæ, omnisq; virtutis studiū  
continens eam perfectionem, atq; absolutionem habet, vt me  
rito ars artium, & scientia sciarum sit nuncupata. In hoc tam  
præstanti studio Iacobus Zabar, cum mira documenta dedis  
set præstatiæ singularis; eiūsq; ætas (vt verbis Ciceronis vtar)  
septenos octies solis anfractus, redditusq; conuertisset; duoq;  
hi numeri, quorum vterq; plenus alter altera de cauſa habe  
tur, circuitu nāli summam ei fatalem conseciſſent; dum in  
eum, atq; eius nomen tota hæc ciuitas erat conuersa; dum  
eum Collegium Philosophorum, eum Gymn. Patauinum, eū  
doctores, & studiosi oēs, tamquām de cœlo delapsū intue  
bantur; heu nobis morte præreptus est; heu clariss. lumen ex  
tinctum est; heu miserabilis rerum humanarū conditio non  
tulit, vt qui immortalitatem nominis sibi comparauerat, im  
mortali vita frueretur. Hoc igitur tanto, tamq; excellenti bo  
no amissio, quis non doleat, quis non lugeat, quis mortem  
hanc non deploret, cum talem, tantumq; virum sic iacente  
confspiciat, qui hanc suis ciuitatem virtutibus tam mitifice  
adornabat? Evidem, dum diligenter mecum reproto, quan  
ta in obitu huius præstantiss. doctoris iactura facta sit, vix  
me contineo, quin doloris impetu confractus penitus lachry  
mis dissoluat. Si tamen recto mentis intuitu, quantis calamitatibus,  
& miserijs obnoxia sit vita humana, perpendo, id iu  
dico, quod verissimum est, nihil ei mali accidisse, quod ex hac  
non uita, sed morte potius ad meliorem, & securiorem vitam  
pertransiuerit, & ad ea ipsa astra, quæ solitus fuerat sāpenu  
mero contemplari, à Deo immortali euocatus sit. Creden  
dum

dum enim est, cum tam piam, tamque innocentem uitam vixerit, cum tam pie, tamque sancte mortuus sit, cum antea uitæ omnino similem mortem obierit, fortissime, libenter, vno uerbo Christianissime, ne minimam quidem eaudendi, diesque suos diutius protrahendi cupiditatem ostendens, sed in uoluntate Iesu Xpi prorsus acquiescens, cuius imaginem ut in corde sculptam uiuens gerebat, sic in manib. mortiens constricta tenebat; pro certo inquam habendum hunc præstantissimum uirum, post talem uitam, talesq; mortem ad feliciorem statum traductum esse; qui satis quidem sibi uixit, satis gloriæ suæ: cum aut non nobis satis, nec familiæ, & patriæ suæ satis eum uixisse existimemus, & quiori tamen animo id ferendum est: nam suis incommodis in amicorum bonis grauiter angi non amici est, sed se ipsum plus nimio, & plus, quam decet, amantis. Quamobrem, si nos eum, dum uixit, uere amasse uideri uelimus, ne perpetuam felicitatem ei inuidisse uideamur, modum mcerori impionamus; eius clarissimas uirtutes, ut debemus, imitemur; eius maximas laudes perpetuo celebremus; eius generosos filios, illustrem Comitem Iulium, magnanimum Antonium, summe ingeniosum, & alta mente præditum Franciscum, qui singulare certe exemplum habent ad imitandum, incredibili quodam dolore, eo demq; iustissimo, confessos, quantu possimus, consolemur. Vos uero præstantissimi Academici, qui omni officio, omnique pietate erga præclarissimum Præsidem uestrum usi fuistis: qui abunde muneri uestro satisfecistis: qui maximum dolorem praæ uobis fertis: qui in cœstissimi oës adesse in funere uoluistis: qui quammaxime, & peregredie perillustrem Tuitelarem uestrum honorassis; hanc cum filiis, & propinquis eius consolationem percipite, quod ipsius nomen inter homines sit immortale, quod ipsius animus in cœlo, ut nobis persuasisimum est, beatitudine sit fruiturus seu piterna.

Habita Patauii in templo Di. Antonij V. Kal. Nouembris  
M. D. LXXXIX.



D E



# D E L A V D I B V S D I · T H O M A E · A N T O N I I R I C C O B O N I

## Oratio.



V E M A D M O D V M notum, atq; exploratum est, Aud. ornatiss. Nilum ad illa, quæ Cataupa nominantur, tantum sonitum edere, dum ex altissimis montibus se præcipitat, vt gentes, quæ illum locum accolunt, propter illius sonitus magnitudinem obsurdescant; aduersoq. Sole oculorum intuitum superari, & eius radijs aciem nostram, sensumq; vinci; ac tantum esse numerum illorum ignium sempiternorum, quæ sydera, & stellæ nuncupantur, ut dinumerari à nobis nullo modo queant: sic notissimum, atq; exploratissimum est, sonitu illustris, ac peruagatæ famæ multorum, & magnum, quæ beatissimus Pater, Di. Thomas Aquinas, in Rép. Christianam contulit, beneficiorum ita aures omnium compleri, vt obsurdescere quodammodo videantur; quod etiam de harmonia cœlesti doctissimi homines censuerunt; eiusq; splendorem, & claritatem omnium oculos perstringere; ac tam multis eiusdem, & tantas laudes existere, ut omnem su-

R perare

perare dinumerationem , atq; amplitudinem existimentur . Quo factum est, ut ad magnum sonitum in omnes terras longe, lateq. resonantem vel gymnasii Patauini Doctores quodammodo surdastris facti sint; ijsdemq. in tanto lumine oculos defigere hoc anno adhuc reformidauerint; ac res enumerae innumerabiles, quæ ad exornandum tantum virum conferri possunt, quasi superuacaneum duxerint. Quod sine dubio magnam indicat reuerentiam, & uenerationem hominū existimantium beatissimum virum huiusmodi non egere exornatione, omnemq. orationem eius immortalibus, ac diuinis meritis inferiorem esse; satiusq; haberi res tantas non laudare, quam frigide laudare: omnia enim yerba, quantumvis ornata, frigescere videntur ad exprimendum ardens, & flagrans tum religionis, tum doctrinæ studium, quo uir sanctissimus ferebatur. Verumtamen, cum animi ingratia sit, eō nihil reddere, quia minimum possis, vel quia minime egere eum, qui beneficerit, intelligas; fateamur quidem, quod uerum est, Aud. præstantissimi, non posse nos maximis, clarissimisq. Di. Thomæ virtutibus vlla respondere orōne, quiq. in cœlo beatissimus æuo perfruitur sempiterno, & cœlestia potius, quam humana spectat, humana eum gloria vacare posse: sed nihilominus faciamus, quod possumus; ad clarissimā eius famam, quamvis surdiiores, acclamemus; eius lucem si intueri aduersam non licet, at saltem transuersam, & obliquā iutueamur; eius laudes, si fieri non potest, vt omnes enumeremus, at certe admiremurs; eius memoriam prædicatione colamus sempiterna; antiquum institutum retineamus, quotannis in eius honorem conueniendi; morem non omittamus eius nomen si non pro dignitate, at saltem pro viribus celebrandi. Quod munus mihi delatum, libenterq; à me suscepimus, vt pro dignitate obiretur, & angelicus doctor laudaretur, angelica uoce opus fore animaduerto; magisq; confundendum esse video ad diuinum auxilium, & sanctissimi uiri præsidium, quam ad ullam humanam dicendi facultatem: quod multi quidem de viro sanctissimo scripserint, unde multa colligi ad dicendum possint, atq. inter ceteros, posterioribus temporibus Hieronymus Vielnius, primum Argolicensis, deinde Aemoniae Episcopus religiosissimus, qui pro do-

ctrina,

ctrina, & scriptis Di. Thomæ duos libros in lucem, atq. aspergum hominum produxit: sed omnia leuia futura sint, nisi ad rem diuinam pertractandam diuinus afflatus accesserit. Quam mobrem humana òpe minime sufficiente, ad te, sanctissime Pater, me conuerto, atq; in te, tamquam in numeri mihi propitiuum, intueor, vt mihi adsis, & ita faueas, ut, quemadmodum vita præceptor, & doctrinæ magister plurimos adiuuisti, sic tua immortalia in genus humanum merita commorare non prorsus indigne queam. Etenim Di. Thomas, Aud. ornatissimi, ad hominum commoda est natus ex urbe Aquino, primum celebri in Italia municipio lege Iulia facto, deinde nobili Romanorum colonia à III. viris Lepido, Antonio, Octauio constituta, & ex illustribus parentibus Landulpho Comite Aquinate, & Theodora patritia Neapolitana; qui tum patriæ, tum familiæ splendore illustratus, non in nimio sibi ocio, atq. desidia elangescendum putauit, nec se voluptati dedit, sed, quod Trojanorum proceres in Helenam facere voluerunt, id sibi quoq. in voluptatem faciendū existimauit. Narrat enim Homerus, optimus auctor, cum Helena foeminarum pulcherrima, ut ore omnium trium, ac peruulgatum est, ab Alexandro fuisset rapta, & ad Troiam perducta, illos maxima ipsius pulchritudine obstupescentes summopere suafisse, vt illa ipsa, quæ Deas immortales præstanti corpore, & oculis, atq. ore repræsentaret, dimitteretur, clamantes, ni ita fieret, illam fore Trojanis maximo detimento. Sic Thomas omnem à se dimisit voluptatem, probe intelligens, illam virtuti maxime inimicam esse, boniq. natum fallaciter imitando adulterare. Cuius rei clarissima dedit documenta, & quidem clariora, quam quondam dedisse Xenocrates commemoratur. Siquidem Xenocrates apud Phrynen se tamquam statuam omni sensu carentem ostendit. At Thomas, posteaquam in sacrum Prædicatorum ordinē cooptandum se dedit, inter alia multa sibi ad labefactandum castum, atq. incorruptum animum obiecta, ut mulierem uidit multis illecebris ad se proficiscentem, non sensu uacuum, sed maxime sentientem ad illam magna cum sanctitatem depellendam se præbuit; semperq. aduersus omnem libidinem mirifice se gessit; quod à Deo Opt. Max. id ei datum esset, ut o-

R 2 mnis

turpitudine coniunctis; vt doctoribus vestris doctrinæ modum non præscribatis, sed ab eorum arbitrio prorsus pendatis; vt Pythagorico magis silentio, quām liberiore, atque audaciore sermone oblectemini, ac taciturnitatem, & modestiam in discendo, & audiendo admetis. Ac operam quidem dedit Thomas per annos multos Alberto illi Magno, à quo præter editos in sacras litteras commentarios, reconditos, & abstrusa quāmplurima in rerum natura inuestigata sunt, mirabilemque cursum, ac prope incredibilem progressionem fecit ad omnem doctrinæ excellentiam. Tametsi n. Theologiæ in primis appetebat: tamen, cum intelligeret, multum præsidij afferre Philosophiam ad sacras litteras perdescendas, eāq. ad rerum diuinarum abdita, & penetralia patentem aditum esse, tam studiose omnem Philosophiam cognovit, ut eam quoq. clarissimis commentarijs potuerit illustrare. Doctissimas n., & luculentissimas scripsit explicationes in Logicâ facultatem, in Naturalem Philosophiam, in Metaphysicam disciplinam, in Ethicam, Oeconomicam, Politicam, cum aureis illis opusculis, quæ sapientiæ studiosis plurimum oīum consensu afferunt adiumenti. Quibus quidem omnibus ita Arist. doctrinam aperuit, & declarauit, vt nomen explicatoris, vel, vt vulgo aiunt, expositoris sit merito consecutus; quō quidem nemo unquam fuerit curiosior, nemo vberior, nemo clarior; & visus sit vel græcos explicatores doctrinæ præstantia superare, ac Latinæ Philosophiæ summum addere decus, & ornamentum. Atq; eo potissimum tempore Arist. scriptis suis illustrauit, cum Vrbano IIII. Pont. Max. tanta auditorū frequentia Romæ professus est, ut studiosorum multitudinem vix amplissimus, vbi ipse profitebatur, caperet locus. O doctorem omni gloria clarissimum. Itaq; eius ingenio, ac diligentia plurimum debent Logici, Physici, Metaphysici, Ethici, Oeconomici, Politici, omnes, qui sapientiæ studia profitentur: quōd Latinorum primus tam multos Aristotelis libros tam feliciter explicauerit. Nam Boethus quidem, & Linconiensis aliquos libros interpretati fuerant, sed admodum paucos: Albertus vero Magnus Paraphrasim magis in ipsum Arist. quām explanationem confecrerat, alioquin inq. digressiōibus copiosus, & sublimis, ac de explicandi principatu cū ipso

mīnis expers libidinis existeret, atq. hoc modo castius, & in corruptius ipsum Deum, uniuersumq. mundum contemplantetur, & ad rerum diuinarum, humanarumq. studia magis idoneus comperiretur. In quibus, dici non potest, ipse quām mirabiliter excelluerit. Optimam enim tenuit ab in eunte ætate studiorum rationem, ut non se insolentius iactaret, nec ea se scire profiteretur, quæ ignoraret, nec, prius quām didicisset, sermonem sustinere, & inconsultius, atq. imperitus disputare auderet, sed in audiendis doctoribus, & exercendis optimarum artium studijs miro silentio vteretur, ac Pythagoricam dicendi consuetudinem sequeretur. Memoriæ enim proditum est, Pythagoram, quos in suam receperis- set disciplinam, iussisse certum temporis spatium tacere, atq. aliud alijs tempus pro æstimate solertiae captu constituisse, nec minus cuiquam, quām biennium præscripsisse, quo ipso tempore qui tacebant, quæ ab alijs dicebantur, audiebant, neq; percontari, si parum intellexerant, neq; inuestigare, quæ audiuerant, fas erat, quō essent diligentiores. Hoc præclaro Pythagoræ instituto Thomas mirum in modum delebatatur; tacitus, & quietus in doctrina doctorum suorum conquiescebat; disputantibus alijs, & inter se magno clamore altercantibus ipse tacebat, ac discebat; quoniamq. raram admodum uocem emittebat, ideo in Scholis ab æqualibus, & condiscipulis suis bos est nuncupatus; immerito quidem ex praua illorum cogitatione, qui eum tamquām mutum, & elinguem reprehendendum opinabantur, sed ex similitudine nō sine aliqua ratione, quōd tacitus, & quietus esset, tamquām bos mansuetus, atque modestus, de quo illa vox per celebris est; Hic bos mugitum edet, qui per uniuersum terrarum orbem audietur. O præclaram bouis appellationem, maxime dignam, quæ Patauino etiam gymnasio tribueretur, ut scilicet illa taciturnitas, atq; illud silentium denotaretur, quod in audiendo, & discendo adhibitum uiam aperit ad nominis immortalitatem. Habetis igitur, iuuenes studiosi, à viro sanctissimo exemplum pulcherrimum ad imitandum, ut in præclaris studijs vestris caueatis in primis à corporis uoluptatibus, communibus homini cum belluis, ac partim pueriliū obtemperantorum similibus, partim cum magno dedecore, ac turpi-

Theologiæ summam confecit; & Petrum Abelardum; & Bādinum suis sententiarum libris annis circiter quadringentis post Damascenum conscriptis superasse existimatur, quoru alter multa prætermisſe deprehēditur, alter hæreticus fuit, tertius nimis humiliſ, ac conciſus eſt iudicatus: ſic in explicando Lombardo Thomas ceteris omnibus, qui ante eum ſcripferunt, præſtitiffe, & posteris omnibus ſpem melius explandi præripuiſſe, creditur. Ac inter magis proprias quidem Thomæ lucubrationes maxime elucet liber aduersus Catholice fidei hostes ad Vrbanum Pontificem conscriptus; & liber ad Antiochenum Cantorem; & opus in quattuor libros diuifum aduersus gentes, in quo beatissimus Pater fulgurare, & tonare pro Christiana religione, ac permiscere omnia viſus eſt; ut ob id merito lumen Christiani nominis fuerit appellatus, & plus profeciffere contra gentes, quām Tatianus, quām Apollinaris Laodicenus, quām Septimiſ Florens Terullianus, quām Laetantius Firmianus, quām alij prope innumerabiles, existimetur. His acceſſerunt mifcellanea illa, quæ in duodecim libros diuifa, & ab eo, quodcunque libet, nominata primus omnium dicitur conscripſiſſe; & diſputationes cum doctiſſimis viriſ in templiſ, ſcholiſq; habitæ; & i primis ſumma illa Theologiæ, cuius claritas ceterorum ſummas viſa eſt obſcurare. Nam poſt Petrum quidem Lombardum, Epifcopum Parisiensem, ſummas quafdam ediderunt Gulielmus Altifidorensis, Gulielmus Parifiensis, Albertus Magnus, Alexander Alensiſ: ſed, ut Thomas poſtremus fuit eorum, qui Theologiam ſummatim complexi ſunt: ſic omniū primus propter excellentem in eo genere præſtantiam habi- tus eſt. O ſcriptorem præſtantiiſum, atque præcellentiiſum. Ac alij quidem gloriari, & merito gloriari potuerū librorū multitudine, ut Ser. Sulpitius iuriſconsultus, qui prope centum, & octoginta uolumina traditur reliquife; ut M. Terentius Varro, quem tam multa ſcripſiſſe Di. Auguſtinus teſtatur, quām multa vix quenquām legere potuiffere credamus; vt Diomedes, qui de re grammatica ſex millia librorum dicitur effudiſſe; ut Origenes, quem Epiphanius affirmit ſex millia librorum edidiſſe; ut Di. ipſe Auguſtinus, qui tam multa ſcriptis comprehendidiſſe commemoratur, quām multa

ipſo Auerroe coñtendens: at Thomas breuiori, & uiliori via progressus primus singula Aristo. uerba perpendit, pri- mus ad sapientiæ ſtudiosos ſe ſe accommodauit, primus Aristo. obſcuritatem in lucem conuertit; vt ſi in altero inter- pretandi genere inter Latinos Albertus obtinet principatū: in altero ſine dubio Thomas ceteris antecellere omnibus ui- deatur. Neq; vero, cum maximus eſſet Philoſophus, in ipſa Philoſophia conuiuit; quod periculofiſſimum eſſe, declarauit Simplicius, qui affirmauit geniti mundi narrationem à Moſe Prophetarum coryphæ habitam fabulosam eſſe, & ab Aegyptiorum nānijs originem trahere: declarauit Ale- xander, qui animuſ eſſe mortalem opinatus eſt: declarau- runt alij, qui inepta alia effutuerunt: ſed omnem philoſophandi rationem ad Theologiam, quam in primis proposi- tam habebat, tum ſibi, tum omnibus direxit quām vitiliſſime. Quām obrem, cum vir præſtantiiſum non minus in Theo- logia, quām in Philoſophia excellere videretur, explanatio- nes quoque conſcripti in ſacram ſcripturam, Cōmentarios in variis Theologos, opera quādā ſua magis propria Ete- nim non ſolum concionando, qua in re maximam gloriam adeptus eſt, ſed etiam ſcribendo, vetus, & nouum teſtamen- tum explicauit: atque inter ceteras lucubrationes ſuas Cata- nam illam confecit uere auream patrum Græcorum, & Latinorum in omnia Euangelia; quæ Vrbanus Pontifex iuſſe- rat explañari munere ita diſtributo, ut Thomas Matthæum, & Marcum, Bonauenturas Lucam, & Ioannem dilucidaret; Bonauentura autem, ſummae Praefecturæ, quam in Franciſca- na religione gerebat, grauiſſima adminiſtratione impedito, ſolus Thomas patrum Græcorum, & Latinorum verbiſ po- tuit explicare. Quid commen- rem eius Commentarios i Dionyſium Areopagitam, in Boethum, in duo decreta dog- matica ſanctæ Synodi Lateranensis, in Petri Lombardi ſentē- tias? quas Durandus quidem ingenioſe; Di. Bonauentu- ras diligenter; Gulielmus Altifidorensis docte: ſed, pace aliorum ſit dictum, Thomas multo, quām ceteri omnes, in- genioſius, diligenter, doctius explanauit. Nam, quemadmo- dum Petrus Lombardus Ioannem Damascenum, qui anno Christi ſeptingentesimo quinquagesimo omnium primus

Theo-

multa vix inueniri possunt; vt Ioannes Chrysostomus, cuius supra mille lucubrationes se legisse, Nicephorus ait, inefabili quadam suauitate diffuentes; ut alij multi, quos omnes enumerare longum esset; sed eorum non nulli magis fortasse librorum numero, quam scribendi excellentia ceteris praestiterunt; ut magis laudandi esse videantur, qui pauciores, & præstantiores, quam qui plures, & minus præstantes scripsierint libros: at Thomas non solum librorum prope innumereabilium numero, verum etiam perfectione ceteros fere omnes superauit. Etenim, quod ad Logicam attinet, & Philosophiam, dicite uos, excellentissimi Philosophi, & Logici, quanta sua cum laude, ac studiosorum omnium cum admirazione, Logicos, & Philosophicos libros interpretatus sit. Quid? quod non solum Medicis in Philosophia Naturali, Medicinae admodum necessaria, uerum etiam Iurisconsultis in Philosophia Morali maxime opitulatur? Néque enim ex Iurisconsultis defuerunt, qui affirmarunt, se plus uni Di. Thomæ debere, quam infinitis, & verbosis Iurisconsultorum Commematorijs; ceterosq; Iurisconsultos hortati sunt ad tanti viri doctrinam studioſiſſime persequendam, tamquam non Physicis magis, & Theologis, quam Iurisconsultis necessariam, ut è libris suis, atque animis omnem ignorantiam, omnemque errorem eximere posse videantur. Felices ergo Logici, felices Philosophi, felices Medici, felices Iurisconsulti, qui in Di. Thomæ scriptis feliciter versati sunt: sed feliciores saecularum litterarum studiosi, qui ab eo lumen acceperunt. In sacris enim litteris explicandis tam excellenter se gessit, vt Spiritu Sancto adiutus nunquam aut contra fidem, aut contra bonos mores errasse uideatur: cuius quidem in explanando excellentia cum ex alijs multis perspici potest, tum uero ex eo, quod hæretici neminem magis, quam eum, timuerunt, & propterea, dum nobiles, ut ait Di. Hieronymus, euadere conantur in scelere, neminem magis detestati sunt; id quod esse maximum maximæ gloriae signum idem Di. Hieronymus affirmat. Nec defuerunt factiosi quidam, qui clarissimis eius scriptis aliquas obducere tenebras conati sunt; qui profecto, dum parum, immo uero nihil profecerunt, eius excellentiam magis declararunt. Quid enim effecit

S bus

re à tramite veritatis , qui eum impugnat semper esse de ueritate suspectus uideatur : cuius doctrinam V R B A N V S V. mandauit , tamquam veridicam ; & catholicam , omnibus amplectendam : quem I O A N N E S . X X I I . in sanctorum numerum merito cooptauit , edens illam uocem sane pulcherrimam ; Non esse de eius miraculis uehementer laborandum , qui tot miracula fecit , quot quæstiones determinauit : quem P I V S V . ui sua , & ueritate doctrinæ , ex eo tempore , quo cœlestibus ascriptus est , multas , quæ deinceps exortæ sunt , hæreses confusas , & conuictas dissipas se affirmauit ; idcircoque quintum Ecclesiæ doctorem declarauit : quem Beffaron Cardinalis Nicenus , & Patriarcha Constantinopolitanus inter sanctos doctissimum , inter doctos sanctissimum appellauit . Sed dies , uox , latera me deficerent , & nunquam inuenirem finem orationis , si omnia de Di. Thoma clarissimorum uirorum testimonia recensere uellem . Quamobrem satis sit illud dicere , neminem eo fuisse in Logica facultate acutiorem , in Philosophia locupletiorem , in Theologia sublimiorem , vt merito appellatus sit Princeps Latinæ Theologiæ , & flos Scholasticæ disciplinæ ; cumq. reliqui fere omnes Scholastici Doctores tantummodo inter disputantium congressus aliquid honoris sint consecuti , ipsum non solum in humanis congrescionibus honoratum , verum etiam in Diuorum numerum relatum fuisse . Merito igitur , Audit. ornatissimi , eius nomen , & numen ueneramus : merito in eius honorem quotannis congregamur : merito eius laudes , si non pro dignitate , at saltem , quantum possumus , celebramus : merito eius uirtutes pro uiribus imitamur , eius doctrinam admiramur , eius in exercendis optimarum artium studiis diligentiam sequimur , eius præclaris vestigiis insistimus , ut omnem Philosophiam ad Theologiæ regulam dirigamus ; vel , si id satis accurate non facimus , at certe facere debemus , ut uirum in genus humanum beneficentissimum sanctissime suspiciamus , & imitemur , atque huiusmodi imitatione à Deo Optimo Maximo digni existimemur , qui tandem aliquando in cœlum penetremus . Quod ut nobis omnibus

bus dicta sunt , ea Di. Thomæ tribui debeant vniuersa ; ac ipse appellari merito possit non solum Theologus , sed etiā sermone , & opere magnus , maxime mirabilis , & laboriosissimus , magister Ecclesiarum , Deucalio vniuersi terrarum orbis , aquila , columna Ecclesiæ , & turris inexpugnabilis , Sanctus , & venerabilis Sacerdos , ac in diuinorum eloquiorum tractatione clarissimus , vir sanctæ recordationis , & magister optimus , Deiferus , eminentissima Catholice fidei uox , ualidissimus aduersus hæreticos malleus , egregius præfus , præstantissimus doctor , prudentissimus veritatis prædicator , & defensor , atque Orthodoxæ fidei constantissimus propugnator , pater patrum , glorirosus præceptor , & tutum Ecclesiæ munimentum : præterea uero , non solum , vt communiter appellatur , angelicus , sed etiam seraphicus , solemnis , irrefragabilis , subtilis , illuminatus , grauis , resolutus , profundus , magnus , & maximus . O virum præstantissimum ; cuius præstantia omnem superat laudis excellentiam : cuius virtutibus nulla verba possunt inueniri tam egregia , tam præclara , quæ congruere uideantur : ad quem exornandum eius ipsius opus esset ingenio , atque elocutione ; illa inquam elocutione , nullis fucata coloribus , nullis lenocinijs contaminata , solœcismis uacua , maxime propria , non odiosa , non Latinitatis studiosis prorsus ingrata , neruosa , perspicua , & numerosa , qua ipse uetus est omnes Doctores Scholasticos superare . O uirum omnibus numeris , & partibus absolutum ; cuius scripta ita Sancta Ecclesia laudauit ; Stylus brevis , grata facundia , celsa , clara , firma sententia : quem G R E G O R I V S X . ad Concilium Lugdunense ire , tamquam ceteris omnibus , qui inter uiuos numerarentur , ad declarandam Christianæ fidei ueritatem magis idoneum iufferat , & in itinere Dei iussu in cœlum peruolasse , memoria proditum est , tunc cum beatissimus Pater corpore semimortuus , animo maxime uigens Cantica Canticorum explanauit : cuius sapientiam I N N O C E N T I V S V . testatus est habere proprietatem verborum , modum dicendorum , ueritatem sententiarum ; ita vt , qui eum sequitur , nunquam recede-

nibus concedatur, tu beatissime, & sanctissime pater, quem  
aduocatum inuocamus ad nos diuinæ maiestati commen-  
dandos, faueas nobis, quæsumus, oratione, & pre-  
cibus tuis, ac benigne efficias, ut quod  
per nos assequi non possumus,  
per sanctissima tua  
merita conse-  
quamur,

Habita Patauij, in templo Di. Augustini, congrega-  
tis omnibus Patauini Gymnasi Philosophiæ,  
ac Medicinæ Doctoribus.



D E  
**L A V D I B V S**  
**DI. HIERONYMI.**  
**ANTONII RICCOPONI**  
Oratio.



V AE singula perturbare dicentem pos-  
sunt, Patres amplissimi, ea mihi se se  
hodierno die ita obijciunt vniuersa,  
vt animum meum valde commoueat;  
non solum loci amplitudo, ut in vrbe  
Patauio dicam, cuius fama per om-  
nes terrarum partes peruasit, quæq.  
gloria, & splendore nominis sui vni-  
uersum orbem compleuit: verum etiam audientium digni-  
tas, ut apud Theologos omni grauitate, & maiestate prædi-  
tos, omni reuerentia, atque obseruantia dignos orationem  
habeam: & materia ad dicendum proposita, vt de sanctissi-  
mo, eodemque eloquentissimo viro, Di. Hieronymo, huius  
celeberrimi vestri Collegij Tutelari optimo verba faciam.  
Ac ea quidem est eruditissimorum virorum in hac nobili ci-  
uitate frequentia, & studiosæ iuuentutis multitudo, ut Pata-  
uij dicere, tamquam in ipso Musarum domicilio non nisi  
eloquentissimis uiris congruere uideatur. Huius vero uene-  
randi collegij, quod ego summa semper colui veneratione,  
tanta

tanta est celebritas famæ, tantaque auctoritas, vt nemo sit, quantumuis in sapientiæ, atque eloquentiæ studio exercitatus, qui apud tot præcellentissimos patres orationem habere, parum esse, nisi sit omnium stultissimus, queat existimare. De Di. autem Hieronymo ut congruenter ageretur, non ne ipsius Di. Hieronymi opus esset ingenio, atque eloquacia, in quo cum alia præclara enituerunt, tum dicendi tanta uis illuxit, tantaque copia, ut, quantum ipse illustrare omnia poterat oratione, tantum suæ splendore orationis omnia obscurare eloquendi lumina videatur? Non facile igitur hoc grauissimum onus mihi imponi permissem, ut in hac clarissima ciuitate, in hoc amplissimo collegio, de hoc uiro sanctissimo agerem; nisi cogitassem, Patauij omnem benignitatem & humanitatem, ac mansuetudinem domicilium habere: & splendorem dignitatis uestræ, amplissimi patres, tamquam principem mihi, & moderatorem omnium lumen, posse spem afferre, uim dicendi augere, animum excitare, & inflammare in re ardua, atque difficulti: & Di. Hieronymi laudes, quæ sunt recensenda, idoneas esse, quæ uel infantissimos quosque eloquentissimos reddant, ut uerendū mihi non sit eo in arguento uersari, in quo nemini oratio deesse potest. Atque huiusmodi cogitatio etiam nunc ita plenis, & ueris me gaudijs cumulat, ita mentem meam se ipsa destitutam reficit, & recreat, ut nulla re amplius deterrear, sed in spem certissimam ueniam fore, ut in hoc grauissimo munere obeundo magis uoluntas mea gratificari cipientis patronis meis, qui hoc mihi munus detulerunt, quam ingenij mei imbecillitas attendatur. Itaque totus erectus, & confirmatus hoc solenni die, qui Di. Hieron. est consecratus. de Di. Hieron. Tutelari uestro sanctissimo, in cuius honorem meritis, conuenistiis, ita agam, ut, quæ in eo uos egregie imitamini, & omnes imitari debent, ea quæmbreuisissime cōmemorem; atq; ex plurimis ijs, quæ dici possunt, ea potissimum feligam, quæ ad nostrā ipsorum imitationem pertinere posse videantur. Cum autem in hominibus exornandis omnia plerunque amplificari soleant, ita ut exprimatur magis, quales illi esse debuerint, quæm quales vere fuerint: in celebrandis Di. Hieronymi laudib. alia mihi ratio est, cuius actiones tales

tales fuerunt, vt vix enumerari, nedum amplificari queant; immo vero tot, tantæq; extiterunt, vt non solum omnem amplificationem, verum etiam omnem enumerationem superare existimentur. Itaque cum beatissimi patris tam illustre fuit vita institutum, tamq; celebre apud omnes gentes, & nationes ingenii, doctrinæ, sanctitatis nomen, videbor meo ipsius officio, ac pietati egregie satisfecisse, si ex tanto maxima rum, clarissimarumq; laudum cumulo vel minimam partem attigerō. Ac si ad imperitam quidem multitudinem orationē haberem, quæ generis potius claritatem, imaginumq; splendorem, ac fortunarum amplitudinem, quam propriam cuiusq; virtutem intuetur, & admiratur; plura dicerem de Stridone oppido in agro Iustinopolitano, atque in Dalmatiæ, Pannoniæq; confinio, Di. Hieronymi patria, à Gothis immannissime euersa: nec pauca commemorarem de clarissimis eius maioribus, præcipueq; de optimo ipsius parente, Eusebio, qui merito à pietate nomen est consecutus: diuitiasq; eiusdem recenserem, & patrimonium satis amplum, ubi seruorum erat multitudo, per quorum cellulas se puerum ire soli tum fuisse, ipse meminit. Sed, cum apud sapientissimos, grauissimosq; Theologos uerba faciam, omnia leuiora, & cum multis communia prætermittenda sunt: grauiora, & Di. Hieronymi propria recensenda; immo vero præcipua tantum quædam attingenda, ne nostra in infinitum progrederiatur oratio. Ex multis enim ijs, quæ nobis occurruunt ad dicendū, tria tantummodo completemur, quæ in optimo Theologo inesse oportere, Di. Hieronymi exemplo satis constare potest, nimirum tria præclara studia cū Theologia studio coniuncta, tum variarum linguarum, tum aliarum optimarum artiū, tum in primis Christianæ pietatis. Ac profecto, si una, & eadem esset omnium gentium, & nationum lingua, nec ulla sermonis uarietas, ac dissimilitudo audiretur; tanta non existeret uel ad uitæ usum, uel ad scientiæ fructum difficultas, quantam omnes experimur. Quoniam uero propter illos, qui in altissima turri exædificanda insaniuerunt, diuina factum est uoluntate, ut sermonis exorta sit confusio, & non eodem modo locuti sint Hebræi, Græci, Latini, aliæq; gentes, & nationes, perinde ac ne eodem modo nunc loquun-

abest, ut plures linguas studioſiſſime persequantur, ut ne Latinam quidem, in qua perpetuo uersantur, teneant, & non nisi barbarorum fōrdibus contaminatam, verborumq. portentis deformatam, atque ornamentis omnibus spoliata cognoscant. Magnum certe dedecus nostræ tempeſtatis, ut sapientiaſ candor, & doctrinæ maiestas tantopere commaculetur, atque conturbetur. Iam uero prudentissimus pater cum animum præcipue appulisset ad Theologiam, & Dei contemplationem, non alias tamen ingenuas artes contempſit, sed in eis ita versatus est, vt omnes ad Sacræ Scripturæ vſum converterit. Neq; enim Grammatica, nec Rhetorica, nec Dialegтика, nec alia liberales artes viris religiosis ſpernendæ ſunt, quibus sacræ litteræ aduersus conceleratissimorum hominum nefarios impetus defenduntur. Nam, tametſi tanta earum est ueritas, ut maior esse non possit, quæ contra hominum deprauata ingenia, malitiosam calliditatem, factasq. infidias ſe ſe defendere quodammodo ſatis ipſe poſſe videantur: tamen non parum iuuantur alijs artibus, tamquam instrumentis à Deo datis ad veritatem protegendarum. Quod cum Di. Hieronymus optime intelligeret, Romæ, quò admodum adoleſcens ex oppido Stridone ſe contulerat, omnes artes libero homine dignas complexus eſt. Itaq; tum Grammaticam didicit, quam ſi ſciuiſſet Eluidius, detefabilia contra ſacrosanctæ Virginis candorem non effutiuifſet: tum hiſtorias ethnicorum cognouit, quorum cognitionem eſſe ſum me utilem ad ſacras litteras pertractandas, Auguſtinus testa tum reliquit: tum Rhetoricam percepit, qua eſſe vtendum idem docuit Auguſtinus, cum recta ſentimus: tum Dialecticam apprehendit, quam videtur significare Salomon, cum in prouerbiorum procerio monet, ut intelligamus sermones prudentiæ, versutasq; verborum parabolas, obscurumq; sermonem, ac dicta sapientum, atq. ænigmata: tum uiniuer ſum disciplinarum orbem expleuit; nec in libris suis à poetarum, oratorum, ceterorumq. ethnicorum auctoritatibus ſe abſtinuit (etiamſi id à Rufino maxime reprehenderetur) quòd animaduertifſet à Moſe, & Prophetis, multa ſumpta eſſe de libris Ethnicorum; & ipsum Di. Paullum vſum fuſſe versibus Epimenidis, Menandri, Arati; minimeq. abſur-

T dum

loquuntur Itali, Galli, Hispani, Germani, atq; reliqui Euro-  
pæ populi; idcirco tam difficultis facta eſt rerum uel agenda-  
rum, uel intelligendarum ratio, ut qui in actionibus huma-  
niſ, & sapientiæ ſtudijs excellere concupiſcit, eos plures lin-  
guas tenere oportere ſatis conſtet. Si qui autem aliqua loquē-  
di unquam gloria floruerunt, ij profeſto Hebræi, Græci, ac  
Latini fuerunt, quorum linguas Di. Hieronymus ita perdi-  
dicit, ut in eis intelligendis mirabiliter excelleret. Eum enim  
fuſſe trium linguarum peritissimum, Hebrææ, Græcæ, atq;  
Latinæ, Di. Auguſtinus, Di. q; Isidorus, auctores grauiſſimi, attestantur. Neq; uero, ut nonnulli faciunt, eas leui-  
ter attigit: ſed penitus, diligenterq; cognouit, ut, quod atti-  
net ad linguam Latinam, Donato præceptore uſuſ, eo, qui in Terentium, & Virgilium edidit commentarios, ele-  
gantissimus, & maxime Ciceronianus uifus ſit. Quam ob-  
cauſam tametſi eū vapulaffe, memoriaz prodiuit eſt, quòd  
noniunquam magis Ciceronianus eſſet, quam Christianus:  
tamen vel cum ipſo Di. Hieronymo ad Rufinum conſribē-  
te affirmamus illud ſomnium fuſſe: vel diuina prouidētia  
putamus eueniffe, ut beatissimus pater ſuo viros religiosos fa-  
to doceret, dicendi quidem elegantiæ ſtudendum eſſe, ſed  
præcipuum ſtudium ad ſacrarum litterarum pertractionē,  
christianæq; pietatis venerationem conferendum. Græcam  
autem linguam in quinque genera diuifam optime tenuit, in  
ea peralſidue audiens præceptorem ſuum Gregorium Na-  
zianenum ſapientiſſime, atq; eloquentiſſime diuifantem.  
In primis vero litteras Hebræas ſibi eſſe perdiſendas exiſti-  
mauit, præceptore uſuſ Barrabano Hebræo, qui Hebræos ti-  
mens magno prelio conductus noctu tantum modo in uirbe  
Bethleem eum docuit, atque ita docuit, ut breui temporis  
ſpatio ipſum reddiderit peritissimum. Cumq; eloquentiſſi-  
mus pater, quantopere in lingua Latina, & in Græca excelle-  
ret, mira dederit documenta, nihil tamen præclarius edidit,  
quam ſacræ ſcripturæ ex ſermone Hebræo in Latinum con-  
uersionem, cui eam Deus Opt. Max. auctoritatem detulit, ut  
vel Hebræi ipſi, nedum Christiani Latini, ac Græci, veracem  
eſſe, ut ait Di. Auguſtinus, confeffi ſint. O virum admirabi-  
lem, ac diuinum, etiam, atq; etiam illis imitandum, qui tantū  
abefſt,

dum esse, ut omnia, quæcunq; bona, atq. utilia sunt, undiq;  
hauriantur. Cum igitur ad sacrarum litterarum contempla-  
tionem natus esset, in yniuerso tamen doctrinarum orbē se  
ita exēcuit, ut maxime excellere videretur; ex cuius facto,  
sane egregio, & præclaro, condiscimus, quamquā viris re-  
ligiosis præcipuum studium esse debet Theologiae, non esse  
tamen alias bonas artes contemnendas, quæ si ipsi Theolo-  
giae præsto sint, vt ancillulæ obsequentes, magnam sine dubio  
afferre possunt utilitatem ad sanctas litteras perdiscendas.  
Non enim est in alijs artibus conquiescendum, ita ut ars  
præcipua, quæ inter ceteras principem locum obtinet, præ-  
termittatur: sed illæ omnes ad hanc, tamquam ad dominam,  
sunt referendæ, maxime uero illis, qui se uiros esse religio-  
sos, ac Christi cultores profitentur. In hac autem professio-  
ne cum duo præcipua requirantur, cognitio rerum diuinarum,  
atq; irinocens uita; dici non potest, utraq; in re Di.  
Hieron. quām admirabilem se præbuerit. Is cum in urbe Ro-  
ma Christi uestem, ut ipse ait, suscepisset, & in præclaris lit-  
terarum studijs plurimū profecisset, animo adiecto ad Theo-  
logiam, instar Pythagoræ, atq; Platonis, discendi cauſamul-  
tas terrarum partes peragravit: Gallias adiit, & apud Treui-  
ros longissimum sancti Hilarij de Synodis librum sua ipsius  
manu descripsit: Iudæam, Thraciam, Pontum, Bithyniam,  
Galatiam, Cappadociam, Ciliciam, Syriam, Græciam per-  
lustrauit: Antiochiae Apollinarem Laodicenum audiuit fa-  
cias scripturas explicantem, cuius tamen contentiosum dog-  
ma se suscepisse profitetur: Constantinopolim petijt ad au-  
diendum Gregorium Nazianzenum, cuius doctrina, & san-  
ctitas tunc celebris erat: Alexandriam perrexit, ubi Didymo  
doctori tunc celeberrimo aduersus Apollinaris dogmata di-  
sputanti operam dedit: Bethleem iuit, ubi à Barrabano He-  
bræo simul cum lingua Hebræa sacerorum Bibliorum myste-  
ria perdidicis; cumq; ei vitio uerteretur, quod dogmata au-  
diuisset inter se contraria, ac præceptore Hebræo usus esset,  
operae precium est audire, quomodo ea de re se excusauerit.  
Accusat, inquit, me quisquam, quia hominem Hebræū ha-  
bui præceptorem, & quia Didymi, & Apollinaris inter se dog-  
ma contrarium est: arguat potius, ubi hæretim defenderim,

ubi

74

ubi prauum dogma sim secutus. O præclarum responsum,  
dignumq; quod in mentibus nostris hæreat sempiternum.  
Arguat potius, ubi hæretim defenderim, ubi prauum dog-  
ma sim secutus. Qui enim sanctissimæ fidei lumine sunt col-  
lustrati, poslunt & ab ijs, qui à uera religione sunt alieni, nō  
nulla discere, opinionesq; inter se contrarias cognoscere, ac  
hæreticorum quoq; ineptias intelligere: nunquam tamen cū  
ipsis hæreticis consentiunt, nec à ueritate abducuntur. Quan-  
ta uero sanctimonia, integritate, innocentia Di. Hieronymus  
præditus fuerit, quid est, quod apud uos sapientissimos pa-  
tres pluribus exprimam? Quis enim eo continentius uixit;  
qui post secundam nativitatem, id est, post sacram baptis-  
ma uirginitatem perpetuo seruauit, & carnibus omnino,  
atq; omni obsonio cocto, uinoq; se abstinuisse fertur? Quis  
eo magis profuit exemplo suo, qui Romæ matronarum o-  
culos uerecunde declinabat; facto omnes, uerbo eos, qui  
ad eum audiendum concurrebant, instruebat; plurimosq;  
sceleribus, ac flagitijs inquinatos ad sanctioris uitæ propo-  
situm conuertebat? Neq; enim parum fuit, ut Di. Hieronymi  
persuasione inter alios multos ad Christianam pietatem tra-  
ducerentur matronæ plurimæ antea omnibus delitijs afflu-  
tes, Marcella, Melania, Asella, Albina, Marcellina, Felicitas,  
& Paulla Eustochii, & Blesilla mater. Quis eo præterea  
magis monasticam uitam coluit, qui uiuebat in paupertate,  
& ut Rufinus ipse testatur, pecunias nec habebat, nec habe-  
re uolebat, sed habens uictum, & uestitum contentus erat, in  
cellula latebat, & sacerdotium non ambibat, nec humilitate  
damnata Episcopatum auro redimere festinabat, esse tatum  
non etiam apparere cupiebat, & interno dumtaxat homine,  
non etiam externo proficere satagebat? O exemplum sa-  
cristissimum omnibus monachis imitandum. Neque uero ta-  
cendum est, quanta cum sanctitate in eremo Syriæ per qua-  
driennium uitam degerit; in qua solitudine exusta Solis ar-  
doribus, horridamq; monachis reddente habitationem: so-  
cios habebat scorpiones, & feras, quotidie lachrymis, quo-  
tidie gemitiibus angebatur, incredibiliq; abstinentia se ipsum  
excruciat; ex qua eremo propter sanctitatem suam nun-  
quam discessisset, nisi ab hæreticis, qui eum ad se trahere nō

T 2 potue-

iarum uolumine, quod in manibus omnium uersatur, imperantibus Honorio, & Theodosio Maiore circiter annum quadragestimum uigesimum secundum in cœlum penetravit; cuius corpus cum in oppido Bethleem humanum esset, postea Romanum translatum est una cum Christi seruatoris nostri præsepio, septimo Id. Maias, eo scilicet die, qui Di. Gregorio Nazianzeno eius præceptoris datus est; atque in Exquilijs in Ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris prope ipsum præsepe est collocatum. Di. igitur Hieronymus Latino, Græco, Hebræo sermone fuit pereruditus, neque unam, atque alteram, sed omnes ingenuas artes, quæ ad usum Sacrae Scripturæ conferre possent, complexus est: atque ita Christianam pietatem coluit, ut & rerum diuinarum cognitione præstare ceteris uisus sit, & uitæ integritate, probitate, innocentia, castitate, ceterisque uirtutibus, quæ hominem Christianum perfectum redundat, mirabiliter excelluerit; qui, tametsi propter præstantiam, atque excellentiam suam non facile imitabilis est: tamen optime facitis, amplissimi patres, qui eum, quantum potestis, imitamini, eius uirtutes pro uiribus representatis, eius doctrinam præ uobis fertis, eius sanctitatem exprimere conamini, eum Tutelarem uestrum, tamquam factum lucidissimum, uobis prælucentem sequimini. Quod ut diu facere positis, curabit apud diuinam maiestatem sanctissimus Pater, qui merito à uobis quotannis hoc solenni, & sacro die honoratus, merito si non pro dignitate, at saltem, quantum per uos fieri potest, exornatus, merito inuocatus, hoc nobilissimum, & celeberrimum Collegium uestrum perpetuo tuebitur, atq. defendet; pro qua perpetua tuitione, atq. defensione te, Pater eloquentissime, Pater sapientiss. Pater ob doctrinam, & probitatem tuam Iesu Christo charissime, hoc Collegium tuæ sanctitati commendatum ita orat, obsecrat, obtestatur, ut tu, qui eloquentia polles, sapientia præstas, pie tate Christiana excellis, ipsius commodum, dignitatemque conférues, augeas, & in perpetuum soueas, ac tuearis.

Habita Patauij, die festo Di. Hieronymi, in Collegio  
Theologorum.

D E.

potuerunt, electus esset. Semper enim hæreticis mirabiliter obstitit, atq; aduersatus est, ut coram eo hæreses, ueluti coram sole nebulæ, euanescerent. Quamobrem Mileuitani Concilii Patres ad Innocentium primum scribentes Hieronymum, ut strenuum hæreticorum impugnatorem prædicarunt. Multa mihi propter temporis angustias prætermittenda esse video, quæ longa historia, quam breui oratione sunt digniora; atq; inter cetera illud, quod pluribus rebus Christianam ornauit Remp. Eo enim procurante in Ecclesia Romana ex consuetudine Ecclesiæ Hierosolymitanæ Alleluia cantati coeptum esse, et ex usu Ecclesiæ Antiochenæ in fine omnium psalmorum illa uerba posita fuisse, Gloria patri, & cetera, Di. Gregorius testatur. Eo emendante, septuaginta interpretationem psalmi Romæ celebrari cœperunt. Quod is è Græco primum correxit, Testamentum nouum Romana postea semper legit Ecclesia. Is martyrum fines, qui in Ecclesiis recitantur, primus in unum breuiter collegit, quod Cassiodorus, Isnardus, & Ado attestantur; præter celeberrimam illam initio à nobis commemoratam sacrorum Bibliorum versionem, eorundemq; interpretationem, & pro eis contra hæreticos multiplicem disputationem. Cum autem admodum senex factus esset, propter celebrem famam de admirabili eius sapientia, ac singulari probitate, ad eum usque in oppidum Bethleem, ueluti ad oraculum, undique plurimi confluebant: ad eum Di. Augustinus litteras scribebat, dubitationum petens solutionum; cumq; ipse profici in locum tam longinquum nō potuisset, misit, qui profecte ab eo multa discerent, Paullum Orosium, Alipium, Profuturum; scribens, neque in se esse, neque reperiri posse tantam scripturarum diuinarum scientiam, quantam inesse in eo cognoscet; tantumq; ei detulit, ut Heliz, & Io. Baptista in scriptis eum suis compararit: ad eum uisendum Seurus Sulpitius profectus est, & cum eo sex menses permanuit: ad eum omnes gentes, & nationes scribebant, ut sibi quæstiones declararentur, & dubitationes eximerentur: denique eum uniuersus terrarum orbis ueneratus est; qui cum teste Cyrillo prædictisset, suum quandoque corpus Romam defendendum esse, relicto pulcherrimo, ac luculentissimo epistolarum



D E  
ASCENS V COELI.  
EX PLATONICORVM  
DOCTRINA.

ANTONII RICCOBONI

Oratio.



VM in primordijs huius Academiæ,  
V.C. orationem habuisse; & præclarum eius insigne laudando uos ad  
uirtutis, & scientiæ studium inflammassem; ac multis, iisdemq; eruditis  
uiris hunc uestrum ordinem, quo  
tempore inter uos principem locū  
pro uestra benignitate obtinui, au-  
xissem: non mea me uoluntas V.C. quæ in uos semper fuit  
propensa, sed multæ, gratiesq; tum publicæ, tum priuatæ oc-  
cupationes adduxerant, ut clarissimam gloriæ lampada, uo-  
bis præferendam, alijs & ingenij, & doctrinæ oleo affluentio-  
ribus traderem, atq;, quod ad has Academicas exercitatio-  
nes, quas alij & ingeniosi, & doctri, & exercitati homines  
præclarissime possent obire, pertineret, uela complicare, ceteraq; armamenta omnia componerem; satis habens si,  
quod potuisse, præstilsem, & qui plus possent, eos exem-  
plo

76

plo meo excitassem: eo tameñ animo, ut, qui semper princi-  
pibus uestris, ac consiliariis paruissem, si quando opera mea  
opus esset ( quod nunquam fore in tanta optimorum inge-  
niorum, & eruditissimorum hominum copia arbitrabar )  
& mihi etiam, quemadmodum non semel antea, aliquid mā  
daretur, mandato uestro libentissime obtemperarē; ac cete-  
ra omnia, quæ me occupatum, impeditumq; tenerent, inter-  
mitterem; uestroq; iusu lumen accenderem, subductam  
nauim deducere, uela uenit, panderem. Iamq; totus in  
eo eram, ut, quod munus mihi Illusterrimus Senatus Vene-  
tus detulit non minus laboriosum, quam honorificum, vt  
in amplissimo Gymnasio Patauino, id est in oculis omnium  
gentium, & nationum, ueterem eloquentiam profitear, in  
illud vnum incumberem; & quod mihi ocium à publicis, &  
priuatis disputationibus concederetur, ad cogitationes quaſ  
dam meas litteris consignandas referrem: cum superior Aca-  
demiæ Princeps vna cum perillustri Comite, & religiosif-  
fimo Abbe, ASCANIO MARTINENO, floren-  
tissimi cœtus vestri patrono, custode, defensore acerrimo,  
cum I.O. IACOBO DIEDO, viro non minns ad do-  
ctrinæ laudē præstanti, quam religioso, cum MATTHAEO  
MACINO, parente, ac prope deo vestri splendoris, & or-  
namenti; suam mihi voluntatem amantissime significauit,  
vt ad repetendam Academicarum exercitationum consuetu-  
dinem, longo interullo dimissam, solennem prolusionem  
haberem, & aliquoties præterea hoc eodem in loco disputa-  
rem. Quamobrem me aliud quodammodo ex necessitate  
agentem, aliud cogitantem meum obediendi institutum ad  
pristinum cursum reuocauit, etiam reflantibus mearum oc-  
cupationum ventis. Quorsum hæc, V.C.? primum, ut me  
aliqua dignum excusatione existimetis, si superioribus tem-  
poribus adesse frequens huic præstantissimo cœtui vestro  
minus potuerim: deinde uero, ut quod hoc tempore in  
huius delatione muneris alijs fortasse & eloquentiæ, & do-  
ctrinæ copijs instructioribus prælatus fuerim, quodq; sa-  
pius in hunc honestissimum locum ascensurus sim; id non  
ambitioni mæ, non ostentandi ingenij, aut eruditionis, aut  
memoriæ desiderio, non arrogantiæ tribuatis; sed egregiæ  
tanto-

tantorum virorum de mea opinioni, maiori forsitan, quam ut ei mea possint vires respondere, atq; adeo etiam illi ipsi amoris ardori, illi ipsi flagrantiae studii mei, quae me initio adduxit, & quotidie magis adducet ad huius Academiarum modum, ac dignitatem uobiscum procurandam. Iam uero, ut facere incipiam, quod mihi mandatum est, nullum nec praestatius, nec uobis accommodatius, nec ad coleundam amplitudinis uestrae gloriam aptius inuenio argumentum, quam si de ascensu cœli, quem sibi hæc ipsa parat Academia, ex veterum Academicorum doctrina, quam breuissime, & quam facillime agam. Ad cuius rei pertractionem accedens, V. C. ne tantillum quidem uel materiae magnitudine, uel mea imbecillitate deterreor, quod animaduertam uos diuini aliquius numinis instar posse mihi afflare sonantia uerba, uberesq; sententias, ac maximo splendore uestro lumen afferre, animum languentem excitare, vires defessas reficere. Aut enim Musarum chorus, qui homines afflet, nullus est: aut hic præclarissimus cœtus uester ille ipse est, qui afflatus suo me potest, si qua in parte deficiam, recreare; ut omnis laus, omnis gloria, omne decus, quod hoc ipso in loco acquiritur, referendum esse uestra potissimum auctoritati uideatur. Quem Musarum chorū ut repræsentarent ueteres illi sapientiae studiosi, quorum nomen tantopere celebratur; dici non potest, quantas uigilias egerint, quantos labores exantlauerint. Nam, cum animi humani suæ diuinitatis oblitii in corpora cecidissent, rationeque inobscurata, ueluti uelato hominis capite ceperint tantum sub Leonis, ac multiplicis belluae forma apparere, & sola ira, solaq; cupiditate duci; omnino abiecti, atq; humiles erant, & bestiarum more uiuebant, humanarum rerum perturbatricem, optimorum ingeniorum consumptricem, maximorum bellorum concitricem ambitionem sequebantur, immensa illa, & inexplicabili accumulandarum opum auditate rapiebantur, appetitu à ratione auerso ita impellebantur, ut nihil prope interesse inter homines, & feras uideretur. Tunc non nulli extiterunt, qui, quod descensuri de cœlo minus de Sydereō Liberi patris craterē degustalserint, minusq; ebrij facti essent, & minus obliuionis hauisserint; aliquantulum resipuerunt, naturalim re-

rum

rum ordinem sunt contemplati, aliquem esse huius mundanæ fabricæ architectum præsenserunt, eum, eiusq; opera admirari cœperunt: ex qua potissimum admirōne philosophia originem habuit, per Irim Thaumantis, id est, admirōnis filiam significata. Cum autem diuinam lucem sine diuino splendore attingere non posse viderentur, ad recuperandum diuinum lumen, quod descendentes in terram amiserant, impulsi sunt, quam impulsio cœlestis est amor, & vera philosophia, quam diuinus Plato diuinitus indicabat, cum scribebat, Humanum animum affectare rerum diuinorum intelligentiam, in ea ipsa intuentem, q; sibi cognata sunt. Cum uero animaduertissent, in his membrorum vinculis, in his corporum compagibus nullam beatitudinem esse; sibi, si beati esse vellent, in antiquas suas sedes, & domicilia peruolandum: quod facte non licuit per carceris, in quo inclusi erant, infractionem, alio modo fecerunt, vt è corpore eminerent foras, vt ea, quæ extra corpus essent, veluti à corpore abducti, contemplarentur, vt à corporeis uoluptatibus se abstraherent, incorporeas uero, deorum proprias, perpetuas, sinceras, non contaminatas, tantum curarent, seq; quantum possebant, ad diuinam conditionem extollerent. Atque, ut ad superiora penetrarent, primum sibi ad diuinum auxilium confugiendum esse duxerunt: deinde vero etiam partim alas quasdam, partim scalas adhibuerunt. Diuina igitur ope implorata dici non potest, quam celeriter eorum sit miserijs occursum, quæ in eo potissimum consistebant, quod ab una, & simplici natura ad multitudinis confusionem redacti essent. Nam unusquisque ipsorum ab uno rerum omnium principio unus creatus primum se conuertit in multitudinem æternam, & mente rerum omnium ideas contemplari coepit, deinde vero se ipsum respiciens in multitudinem finitam progressus est, & uniuersales rerum omnium cauñas ratione colligit. inde spectauit corpus, & singulares rerum mobilium formas opinione concepit, atq; percurrit. Postremo etiam materiam phantasia, & sensuum appetitu complexus est, ac natura veluti instrumento vsus est ad ipsam materiam congregandam, mouendam, formandam. Itaq; per quattuor quasi gradus, mentem, rationem, opinionem, naturam, ex uno quodāmodo multa tunc

V effe-

platione sua peruererunt, ibiq; equos suos, id est uires, & facultates suas apte collocarunt, atq; illis ambrosiam edendam, & nectar potandum, id est diuinæ pulchritudinis uisio nem perfruendam, & cœlestem lætitiam percipiendam tradi derunt. O felices alas, quæ ad tanti ferunt boni adeptio[n]e. Iamuero cum omnibus modis statuissent in cœlum ascendere, scalas etiam quasdam sibi confecerunt, per quas gradiendo ad cœlestia penetrarent. Primam autem fabricati sunt scalam cognitionis; cuius primi gradus sagacitatis nomine signati sunt: superiores prudentiæ: alij scientiæ: supremi sapientiæ: in quibus primum opinio preparatur tum ad prudentiam, tum ad scientiam comparandam: deinde uero ratio non solum instruitur ad omnem consultationem in ijs, quæ à nobis aguntur, ad omnium bonorum consiliorum præceptionem, ad omnium honestarum actionum moderationem, ad omnium moraliū uirtutum gubernationem; uerum etiam excurrit omnes scientias, tum eas, quæ uerstantur in contemplando, tum eas, quæ referuntur ad agendum: postremo mens redditur sapiens; & apprehendit huius rerum uniuersitatis pulchritudinem, apprehendit mentum cœlestium naturam, apprehendit ipsum Deum. Hac scala ad diuinam conditionem proxime accesserunt ueteres illi, qui sapientes sunt appellati, uel sapientiæ studio nobilitati; ut in Aethiopia stellatus Cepheus, Casiopea eius uxor, Andromeda filia, Perseus gener, propter rerum cœlestium cognitionem: in Assyria prometheus, Caucaso affixus, qui Astrologiam Assyrijs indicauit: in Mauritania Atlas, qui sphæram inuehit, cursumq; Solis, ac Lunæ, syderumq; omnium docuit: heroicis ætatibus Ulysses, & Nestor: Homeri temporibus Lycurgus: deinceps iu Græcia Solon, Thales, Chilo, Pittacus, Cleobulus, Bias, Periander: deinde Socrates, qui oraculo Apollinis sapientissimus omnium est iudicatus: inde apud Romanos L. Acilius propter iuris ciuilis prudentiam, M. Cato propter multarū rerum usum, C. Lelius tum propter prudentiam, tum propter usum. Hac eadem scala ascendit Pherecides, is, qui animalium immortalitate constituenda sibi nominis immortalitatem comparauit. Hac Pythagoras, qui Philosophiæ, &

effectus, cum ab vna rerum omnium cauſa in multas corporis actiones lapsus est; statim sensit superiores partes suas grauiſſimo ſomno conſopiri, inferiores ad illarum dominatum cum maxima perturbatione excitari, totum denique ſe partium ſeditione, atq; discordia repleri. Hac tanta ærumna rum permifione, ſi quod erat remedium, quod ei adhiberi poſſe videretur, illud certe erat, vt à multitudine in vnum uē dicaretur. Quamobrem primum Muſæ iuſſu præpotentis Iouis ſuaui harmonia eius partes obdormientes exuſcitarunt, conturbatas permulſerunt, eumq; totum temperarūt. deinde Dionysius eam ad diuinum cultum conuertit, & ad mentem, qua Deus colitur reuocauit, tum uero Apollo mē tem ipsam ad eius caput extulit. denique cœleſtis Venus ean dem ad Deum traxit; ut Muſæ afflatu ſuo eius partes ad diuinum bonum conformariint: Dionysius eas ad unum totum redegerit: Apollo illud totum ſupra partes ſuſtulerit: cœleſtis Venus illud ipsum ad unum rerum omnium principium direxerit. Sic igitur afflatus animus, ſic à multitudine in unum uersus, ſic adiutus currum ſuum uexit in cœlum; currum inquam ſuum totam ipſius naturam egregie ſignificantem; cuius auriga est animi mens, aurigæ caput animi una, & ſimplex natura, equus bonus ratio, opinioq; per res naturales excurrens, equus malus phantasia confusa, ac ſenſuum appetitio; ut Muſæ bonum equum à malo equo, id est rationem, & opinionem à phantasiæ confuſione, & ſenſuum appetitu diſtinixerint: Dionysius malum equum bono, bonum aurigæ, id est ipſi menti ſubiecerit: Apollo aurigam in ipſius caput, id est mentis apicem uerterit: cœleſtis Venus caput aurigæ in caput rerum omnium, ideſt Deum euocat. O diuinam conuersionem, atq; euocationem omnibus admirandam, omnibus ſequendam, per hæc inuolucra, & in ſegmenta ſignificatam, in diuinis autem ſcripturis diuinitus expreſſam. Neq; uero curru ſuo in cœlum uehi animi humani potuiffent, niſi alii quibusdam à præpotenti Deo ſibi datis uſi fuiflent, id est assidua ueritatis indagatione, & ſummi boni defiderio, uel dupli ciuiſtatu tum ad diuinum uerum, tum ad diuinum bonum, quibus in ſublime lati ad cœleſte præſepe, id est ad diuinam pulchritudinem contem platione

P.Africanus Superior, qui Carthagine ampla ciuitate in Hispania expugnata, virginem tempestiuam, forma egregia, nobilis viri Hispani filiam perductam ad se patri inuolatam reddidit; ita ut quisnam fuerit continentior, merito dubitatum sit, Magnus ne Alexander, qui pulcherrimam foeminae ne videre quidem voluit, an P.Africanus, qui formosissimam virginem a se visam non attigit. Sic viri fortes, ut Miltiades, & Themistocles, clarissima in Rep. Atheniensi fortitudinis exempla: & tres Decii Romani, pater, filius, & nepos, qui pro patria pugnando fortissime occubuerunt. Sic denique alii multi virtutibus mirifice dediti. Neque vero defuerunt, qui vtramq; scalam proxime collocatam permearint, & modo super hanc, modo super illam saliendo, uel etiam propter vniusque propinquitatem altero pede illa, altero hac insistendo, felicissimum, & fortunatissimum iter confecerunt. Hunc enim omnium tutissimum ascensum sibi parauit Soerates, non solum omnis sapientiae, verum etiam honestatis, modestiae, frugalitatis, innocentiae, fortitudinis, omnis virtutis specimen, & exemplar. Hunc Xenocrates non solu doctrina, & dicendi facultate, sed etiam continentia, contemplatione pecuniae, fidei, iustitia, praestans. Nam eius sapientiam, & eloquentiam expertus est Polemon, homo primum pditae luxuriae, postea, cum ipsius scholam irridendi causa intrasset, grauisima oratione de modestia, & temperantia ex tempore ab eo habita, resipiscere coactus, & ex infami ganeone maximus philosophus factus. Eius temperantiam declarauit Phryne, nobile Athenarum scortum, cum iuxta eum accubuisse, pignore cum quibusdam iuuenibus posito, an ipsius castitatem posset corrumpere, nec Philosophi animum ullis illecebris commouere quiuisset, quasi non cum homine, sed cum statua cubuisse. Eius in pecuniarum contemptu excellentiam Magnus miratus est Alexander, spretis ab eo aliquot talentis, quae ipse ad eum miserat per legatos. Eius denique probitatem, & sanctitatem vniuersus Atheniensis populus comprobauit, tunc cum volentem eum testimonio publice dicto ex instituto iurare, una omnium voce prohibuit, significans etiam non iurato tanto viro credendum. Hunc eundem ascensum affectabat Epictetus, non solum eximie doctus,

Philosophorum nomine instituit. Hac Architas Pythagoreus, qui in Mathematicis maiorem humano captu progressionem fecisse traditur, adeo ut non solum cubum primus inuenierit, sed etiam columbam ligneam tam affabre effinxerit, librauerit, inflauerit, vt viuæ uolatum imitaretur. Hac Timæus inter Pythagoricos celeberimus. Hac Plato non solum intelligendi, sed etiam dicendi auctor grauissimus, qui rerum diuinarum contemplatione diuini nomen est consecutus. Hac Aristoteles, qui tantum proficere visus est in omni genere disciplinæ, vt eum quasi doctrinæ miraculum quoddam omnes suspexerint, atq; admirati sint. Hac alij prope innumerabiles, qui abditis rerum causis inuestigandis se prope diuininos ostenderunt. Alteram scalam fabricarunt, quæ dicitur est appetitionis, cuius priores gradus iustitiæ inscripti sunt; alteri temperantiae: superiores fortitudini; in quibus uoluntas ad iustas actiones conformatur: facultas concupisciendi ad omnium voluptatum, & commotionum moderationem: uis irascendi ad periculorum, & mortis quoq; ipsius pro Dei cultu, pro honestate, pro patria perpesione. His gradibus animi humani per iustitiæ, temperantiae, fortitudinis officia auctorem repetunt suum; vt nec iniuriam ullam alijs inferant, nec sibi ab alijs inferri pro viribus patientur: vt vigilia, inedia, labore omnem libidinem doment: vt omnes res arduas, & difficiles fortiter ferant, & ad cœlestem beatitudinem virtutibus extollantur. Horum graduum ea esse natura perhibetur, ut qui eorum aliquo infistere apte potest, omnes ascendere facile queat. Sic uiri iusti ad altiora loca peruererunt; vt inter ceteros Aristides, is, qui iniustum Themistoclis consilium de incendenda Lacedæmonioru classem, quamvis patriæ vtile, aspernatus est: & Cn. Domitius, qui cum M. Scaurum accusasset, seruusq; Scauri ad eum noctu puenisset, instructurum se se eius accusationem multis, graui busq; domini criminibus promittens, auribus suis obseratis, & indicis ore clauso, duci eum ad dominum iussit. Sic quoque uiri temperantes, & continentes; ut inter alios Alexander Magnus tunc maxime, cum Darii Regis vxorem, eandemq; eiusdem sororem, quam quidem exuperanti formæ esse audiebat, videre noluit, perducitq; ad se se prohibuit: & P. Afri-

lætitijs se effereñtes ad illos fierent hominum concursus . Tunc n. putabant ex animo sibi omnia euentura , tunc fau- ste, feliciter, prosperè omnia successura , si reciperentur in numerum philosophorum , quos multo facilius, quām cete ros superiora petere compertum est . Idcirco videre potuif setis diuersorum hominum cœtus uitæ cœlestis desiderio in vnum quasi corpus coalescere, ad studia omnis doctrinæ , omnis virtutis coniunctim ferri, rerum diuinarū, & huma- narum contemplatione ad summum bonum inuicem confir mari . Iam confluebant vndiq; pauperes, diuites, potentes, impotentes, reges, subditæ, imperatores, milites , omnium generum homines, & philosophorum principibus se submit tentes sub certos quasi duces nomina dabant . Sic uarij quodammodo philosophiæ exercitus ordinati sunt : sic ua- riæ philosophorum sectæ distincæ : sic varia doctissimo- rum hominum Republicæ institutæ . Ad eundem modum apud multas gentes , & nationes clarissima gymnasia sunt constituta; & in hac antiquissima Veneti imperii urbe nobis- lissimum omnium ingenuarum artium, & disciplinarum do micilium est collocatum. in quo fulgent tum pontifici, ac Cæsarei iuris, tum Philosophiæ, ac Medicinæ lumina præcla rissima, & potissimum qui adiunt, egregii, atque eximii do- stores optimas artes cum ingenti sua laude, atq; incredibili omnium cum admiratione profitentes. de quorum præstâ- tia plura non dicam, quod mira famæ celebritas eam vni- uerso terrarum orbi reddiderit notiorem, quām vt ego ulla ex parte possim otatione mea collustrare . Ad eundem mo- dum sub nomine Academiæ præstantissimi ad omnem glo- riæ cœtus multis in urbibus facti sunt; in quibus ut valde splendeat hæc ipsa Academia, multorum eius Acade- micorum magnus splendor, cum in hoc sint numero tot ho- mines perillustres, tot uiri perq; religiosi, tot doctores præ- cellentes , tot iuuenes ornatisimi, faciunt præclara eius in- stituta, & admirabiles ad omnium doctrinârum laudem co- pti progressus; facit insignis ordo in disputandis, & tractan- dis rerum obscurissimarum quæstionibus ; atque incredibi lis ardor ad omne disciplinæ genus complectendum . Hic si mihi latissimus ornamentorum uestrorum campus excurre- dus

Etus, verum etiam egregie probus; cuius quidem vitam tan- ta admiratioñi fuisse memoria proditum est, vt eius lucerna fictilis tribus drachmarum millibus propter miram viri au- toritatem vendita esse dicatur. Hunc Musonius, qui, incer- tum est, doctior, an melior extiterit. Hunc alij quā plurimi, qui ita philosophati sunt, ut laudabilem vitam cum eruditio ne coniunxerint . Hanc duplē ascendendi rōnem animis mortalium à deis immortalibus propositam qui fecuti non sunt; sed vel ignorantia, & superbia turrib⁹ alte constructis uoluerunt ipsis inuitis deis, & repugnante natura superiora loca occupare, vel grauati, & inquinati multis, magnisq; flagi- tijs, & sceleribus putarunt se posse cœlum penetrare, atq; di- uidere: tantum abest, ut eis attingere cœlestia licuerit, ut illi Iouis fulmine i&t; sint, quod accidisse Titanis, & Gigantibus poetæ fictis fabulis prodiderunt, hi ad alias grauissimas po- nas sint constituti. qui corporeis malis oppressi , uel à vul- ture iecur immortale tundente, tamquā Titij misere tor- quentur , dum peccatorum in eis conscientia uiscera inte-riora rimatur, & ipsa vitalia indefessa illorum admonitione dilaniat; vel quasi Tantali epulis ante ora positis cruciantur fame, & inedia tabescunt , dum rerum acquirendarum desi- derio quotidie magis exardescunt, & in copia, atq; affluentia inopes, atq; egentes se præbent; vel ut Ixiones radijs rotacū pendent districti, dum nihil consilio præudent, nihil ratione moderantur, nihil virtutibus explicant, sed omnia casu agūt, omnia Fortunæ arbitrio permittunt; vel, ut Sisiphi saxum in gens voluunt, dum parum efficacibus, multumq; laboriosis conatibus uitam terunt; uel atram silicem lapsuram semper, & cadenti similem horrent, dum arduam potestatem, & gra- uem tyrannidem ambiunt; vel alijs miseris modis excrucian- tur, tam infelices, & calamitosi, quām, qui oppositas uias se- quuntur, felices, & beati . Cum igitur fama percrebuisse, aliquem esse aditum delapsis in terram animis ad loca supe- riora; & sapientiores, ac prudentiores quidam eum pateface re, & quasi digito monstrare cœpissent, ac velut Amphiones, & Orphei, homines quodammodo saxeos, & efferatos ad hu- manam mollitudinem, & ciuilem cultum traducere: nolite, obsecro, querere, V. C. quibus gaudijs exultantes, quibus

lætitijs

dus esset, V.C. hodie dicēdi finēm non facerem. Quis enī  
breui temporis spatio perseguatur singularem Nicolai Cō-  
tarenī, diligentissimi, ac benignissimi huius ciuitatis Quæ-  
storis, principis uestri amplitudinem, eximiam Laurentii Iu-  
stiniani, & Io. Baptistæ Basadonnæ, prudentissimorum eius  
consiliariorum præstantiam, egregias virtutum vestrarum  
actiones, mirificas cœtus uestri leges, excellentem studiorū  
vestrorum, & disputationum, & problematum varietatem,  
aliasq; laudes quā plurimas, & quā maximas, quibus orna-  
ti estis? Dii immortales, quantis incedo lātitiis, quanta per-  
fundor uoluptate, quotiescumque cogito uobis à multis in-  
uideri. Verumtamen animaduerti V.C. (ignoscite, quæso, si  
nimiam in dicendo licentiam, uel potius audaciam mihi as-  
sumo, quam mihi concedere singularis uestra benignitas, at  
que humanitas videtur) animaduerti inquam, vos una tan-  
tummodo de re minus sollicitos adhuc fuisse, quam si ipsa  
Academia loqui posset, se potissimum semper à uobis exop-  
tasse fateretur, ut sibi nihil amplius quidquam ad splen-  
dorem, & dignitatem deesse existimaretur. Hæc illa res est, ad  
quam vel in ipsis Academiæ primordijs uos cohortatus sum,  
ut constanter propositum vrgeretis; ut cum frequentissimus  
vester effet numerus, frequentissimi etiam congregaremini;  
vt illud flagrans studium, quo ad obeūdas Academicas exer-  
citationes initio ardebatis, perpetuo conseruaretis. Quid e-  
nī aliud uobis est faciēdum, nisi uelitis inuidorum de vo-  
bis uoculas confirmare? Nam ut primum auditum est, uos  
in eundum locum instituendæ Academiæ cauſa conueni-  
ſe, ne obsecro quæratis, quā multi inuidiæ morsum in uos  
acuerint, quæ fulmina parauerint ad ferienda consilia ue-  
stra. E uestigio insurgunt, faces iactant, difficultates obici-  
unt, exclamant, uociferantur, hunc ipsum cœtum parum di-  
uturnum fore, hunc uestrum Phryxum, magnis cito fluctu-  
bus obrutum iri, hunc uestrarum mentium ardorem, unde  
ANIMOSI appellamini, breui tempore extinctum iri.  
O plumbeum pugionem. Annum igitur ab instituta Acad-  
emia tertium præter multorum opinionem felicibus auspi-  
ciis ingredimini, atque ita ingredimini, ut quādiutissime  
ad has præclaras exercitationes conuenturi esse uideamini.

Quid

Quid autem vos facere oportet? Quid aliud quæſo, niſi ut  
constantiam retineatis? Sic facite, V. C. & constanti animo  
currите ad ea, quæ vos manent, præmia immortalitatis. Co-  
gitate, quid tibi uelit hoc uestrum singulare insigne, hæc ve-  
stra insignis appellatio; quid postulet decus uestrum, ampli-  
tudo uestra, & perseveratissime sic coniuncti, sic concordes  
ad diuinum bonum contemplatione assequendum, quod uos  
diuinus uocata afflatus, alas ingeniorum uestrarum d'itur-  
na quiete refectas, & recreatas adhibete, scalas animorū con-  
ſcendite, uel, cum iam conſcenderitis animoſe excurri-  
te, cœlum scandite, ut facere instituistiſ, me uero  
pro uestra humanitate uobis ſum ducite, &c  
parum pennatum, atq; aliqua ex par-  
te claudum catena aurea beni-  
gnitatis uestræ trahite ad  
gloriam ſempi-  
ternam.



### Habita Patauij in Academia Animosorum.

X Pro

Iosophilicæ deprompta sint: reperiuntur tamen, si Dijs placet, nonnulli, qui ea tamquam levia, & inania, immo uero uniuersum eloquentiæ studium, tamquam puerile, & nugatorium, audent contemnere, & deridere; nec harum litterarum luminibus, & multiplici suauitate perfruuntur, sed tamquam talpa barbara obscuritate oblectantur, & tamquam scarabæ magis odorem lutis, quam alabastri requirunt, & tamquam suillum genus eloquentiæ amaracum, unde gratissimus humanitatis odor afflatur, ueluti sibi uenenum, experiuntur. Quamobrem quæso à uobis, benignissimi Aud. ut in hoc honestissimo huius diei confessu, atq. in hoc prope uestibulo explicationum nostrarum hanc mihi ueniam de tis professioni nostræ in deprauata ueterum disciplina, & corruptis nostri seculi moribus ualde accommodatam, ut, priusquam ad præclara Arist. præcepta declaranda deueniam, nonnullorum factum reprehendam, qui, dum in rerū cognoscendarum studio elaborant, nostram hâc, quasi uerborum tantum, quod ipsi cum maximo suo errore dictitat, disciplinam illudunt, barbariemq. modis omnibus affectat, & fouent; ut, quando iam reliquas fere omnes scholas ipsa barbaries inuasit, caueamus diligenter, ea ne, tamquam pestilentia, continent uulgata tabe, nostram quoq; Humanitatis scholam inuadat; ac relictis illis in barbaris cloacis, & uolutabris, cœnoq. ac luto (pace aurium uestrarum dixerim) tamquam suibus, non è turbidis lacunis, & sterquilinijs, scientia succum bibamus, sed è limpidis sapientiæ, & eloquentiæ fontibus, & fluminibus doctrinæ aquam hauriamus; probatoq; scriptores tum græcos, tum Latinos, & in primis Aristotelem, Demosthenem, Ciceronem, aliosque eius generis auctores complectamur, amemus, quantum possumus, imitemur. Ut autem ad propositum aggrediamur, quinam, obsecro, sunt illi, qui bonis litteris, & nobis in hoc gymnasio bonarum litterarum constitutis tutoribus negotium faceant? Sunt non solum (quod magis ferendum esset) rudes quidam, atq; imperiti homines, de quorum conatibus repellendis, ac vindicandis non esset admodum contendendum: uerum etiam (quod magis mirandum est) non nulli Philosophi, ac Dialectici, nonnulli Medici, nonnulli



PRO  
STUDIIS  
HUMANITATIS.  
ANTONII RICCOBONI  
Oratio.



V P E R I O R I proximo studiorum nostrorum curriculo, Aud. totum primum librum Artis Rhetoricae Aristotelis cum explicauerimus; sequitur, ut animorum nostrorum uiribus satis longa intermissione, & diuturna quiete refectis, & confirmatis librum secundum explicare felicibus nunc auspicijs aggrediamur. Cuius materia triplex sine dubio grauissima, utilissima, auribus uestris dignissima est, & quæ non solum quomodo loquamur, uerum etiam, quomodo uiuamus, docere nos possè uideatur; primum de morata oratione, & moribus tum in persona loquentium exprimentis, tum in persona audientium permulcendis: deinde de affectibus humanis, tum concitandis, tum tranquillandis: postrem de argumentis, & copia argumentorum ex locis Topicis comparanda, ad omnium, quæcunq. in sermonibus nostris uersari possunt, quæstionum pertractionem maxime accommodata. Quæ omnia cum ex penetralibus phi-

loso-

ad nos optimarum artium cognitio emanauit, quorum ne-  
mo fere fuit bonus intelligendi magister, qui non idem est  
gravis dicendi auctor extiterit; quid deniq; Musonius, gra-  
uissimus Philosophus, qui tunc quoque, cum Philosophiae  
laude maxime floreret, Hermogenem dicendi magistrum stu-  
diose audire non erubuit. contra quam faciunt quidam no-  
strorum temporum infantissimi philosophi, qui, tantum ab-  
est, ut Rhetoras audire sibi honestum, atq; vtile existiment,  
vt potius illorum studium vituperent, damnent, irrideant;  
etiam si intelligent idem a suo ipsorum magistro Aristote-  
le, eiusq; doctore Platone fuisse mirabiliter auctum, & exor-  
natum, ac commentarijs etiam editis locupletatum, atq; il-  
lustratum. Dixi de malis Philosophis, ac Dialecticis, qui no-  
iudicio, sed desperatione ad prauam sententiam, tamquam  
æstu, & tempestate ad scopulum adhaerunt, vt linguæ græ-  
cæ, & latinæ cognitionem, & magnitudinem exhorrescant,  
maximosq; orationis illustrandæ labores pertimescant. Di-  
camus nunc de Medicis; de quibus si queratur, cur veterū  
quidem multi in re Medica sic excelluerint, vt vel dij habi-  
ti sint, quod de Chirone, Machaone, Podalirio, Hippocra-  
te, memorie proditum est; tantoq; in honore fuerint, vt ne  
præclari quidem Reges, aut homines a Regibus originem ha-  
bentes Medici nomen erubuerint, quod legitur de Sabore,  
& Gyge, vtroq; Rege Medorum, Sabiele Arabum, Mithri-  
date Persarum, Hermete Aegyptiorum, Mesue Damasceni  
Regis nepote; nunc uero tam pauci sint, qui excellere uideā-  
tur; quiq; eam habeant auctoritatem, quæ tantæ facultatis  
deceat dignitatem: profecto huius paucitatis illa in primis  
caussa afferenda est, quod multi Medici, potius pecunia men-  
dici, quam veri medici, magis lucri, quam scientiæ studiofi,  
a recta studiorum ratione desciscunt; satisq; habent, si sum-  
ma quædam remediorum genera nouerint; nec propter lit-  
terarum græcarum, & latinarum iunctitiam fontes artis attin-  
gunt; nec satis tenent, quid suo ipsorum officio conueniat.  
Hinc morborum amplificatio: hinc ægrotantium despera-  
tio: hinc perturbatio populorum: hinc labes, & perniciæ ci-  
uitatum. Quod enim aliud istorum institutum est, qui, si  
frontem corrugatam, & caperatam, barbam prominentem

&amp;

Iure consulti, & alij eiusmodi, qui summam eruditionem, ac  
doctrinam profitentur, & tamen a recta studiorum ratione  
tum ipsi desciscunt, tum studiosos iuuenes, quantum pos-  
sunt, abducunt, præsertim in Italia, ubi id minus efficere de-  
berent. Dico nonnullos: quia tantum abest, vt veros, & legi-  
timos earum artium doctores existimem reprehendendos,  
ut potius valde venerer, & admirer. Nihil enim esse Philoso-  
phia, & Dialectica præstabilius, nihil Medicina melius, ni-  
hil Iure ciuili speciosius arbitror: sed harum rerum studia in  
prauum usum conuerti, & adhiberi, merito conqueror. Re-  
periuntur igitur quidam non veri, sed adūbrati Philosophi,  
& Dialectici, qui cum omnia damnare, quæ ipsi nesciunt,  
confuerint, quoniam, quæ a ueteribus elegantissime scrip-  
ta sunt, propter græci, & latini sermonis iunctitiam non ad-  
modum attingunt; quæ vero a recentioribus barbare incul-  
cata sunt, in ijs toti sunt occupati; doctrina exigua conten-  
ti, singulari infantia prædicti, optimarum artium, quæ ad Hu-  
manitatem pertinent, expertes, & rudes, suis se quæstiuncu-  
lis oblectant: pauca quamquam religiosissima, atq; sanctissima custo-  
diunt: tribus, aut ad summum quatuor iam peruagatis re-  
sponsionum generibus occurrere omnibus, quæ in Philoso-  
phia, & Dialectica propositæ sunt, quætionibus consueverunt:  
omnia explicant, non græco, nec latino sermone, quo-  
rum utrumq; ignorant, sed nouo quodam, & ante inauditio-  
loquendi genere, ac quotidie magis nouo, cum eorum quis-  
que sua fibi uerba, vel potius portenta fabricetur: nostra stu-  
dia, in quibus ipsi excellere vel propter ingeniorum tardita-  
tem, vel propter laborum magnitudinem posse diffidunt,  
despicatui ducunt; oblii scilicet huiusmodi studia omnium  
doctissimorum hominum consensu quasi firmissima esse om-  
nium disciplinarum, atq; artium fundamenta; oblii, quod  
veteribus omnibus sicut persuasissimum, egregijs Philosophis,  
ac Dialecticis non eximia potius sapientia præcepta, quam  
verborum, quibus illa quodammodo sustinentur, subsidia  
nota esse oportere; oblii, quid fecerit Plato, quid Xenophō,  
quid Aristoteles, quid Theophrastus, quid ceteri omnes, a  
quibus tamquam ab ueris mis quibusdam fontibus omnis

ad nos

dum duxerunt, nisi quod inde suæ artis absolutionem manare intellecerunt? Quod etiam sub inuolucris, atq. integumentis fuisse significatum videtur, cum omnem scientiam petendam esse à Musis, & Apollinem eundem esse tum Musarum, tum Medicinæ præsidem deum, veteres tradiderunt. Nihil enim aliud mea quidem sententia est Apollo, nihil aliud sūt Musæ, nisi pulcherrima, & eruditissima veterum scripta, in quibus omnem eruditionem, omnem doctrinam, omnem artis perfectionem contineri, qui non confitentur, sine dubio à veritate longissime aberrant, disciplinarum depravationem amplectuntur, rerum lucem oderunt, tenebras adamat, in maximo errore versantur. Iam veniamus ad nostros Iurisconsultos; quorum quidem multi haud scio, an verius appellari debeant legum studiosi, & docti, quām glossatū, & commentariorum: propterea quod magis glossata, & commentarios, quām leges ipsas legant; cum in verbis legit propter latinæ linguæ inscitiam difficilius versentur; in iis uero, quæ barbare scripta sunt, glossatibus, & commentariis, minorem habeant difficultatem. Itaque deserunt latinæ linguæ candorem, & circumscriptæ illius elocutionis maiestatem, quæ in ueterum Iurisconsultorum libris admirabilis est; seq; in media barbaria inuoluunt; cumq; ad excellētiā, uel potius ad nomen excellētiā, quām elegissime progressiantur, satis habent, si solennes, & tritas quasdam distinctionum, & verborum formulas nouerint, illisq; sibi doctorum insignia comparauerint; ac magis curant, ut doctores, quām ut docti existant. Hic, humanissimi Aud. non possum non vobis commemorare, quid de bonis litteris responderint duo magni nostrorum temporum Iureconsulti; quorū quidem alter cum in hoc gymnasio prorsus barbare, & putide loqueretur, caussamq; afferret, cur dicendi elegantiam minime sequeretur, Nec Terentium, inquit, nec Cæsarem, nec Ciceronem unquam legi, quod iuris quæstiones, ut decidantur, aliud profecto requirant, quām istorum cōcinnas voces, & composita verba. Quasi uerborum exquisita cognitio ad res exquisite cognoscendas non pertineat: & quasi legum maiestatem deceat inquinata, & barbarorum fordibus turpificata elocutio, non oratio emendata, non pura, nō grāuis.

& pexam, uultum, & incessum grauem, atq. adeo etiam annulos, uestes, capitis ornamenta, mulas, equos, currus, quibus per urbes vehuntur, intuearis, omnem eruditionem præse ferunt ita, ut eorum supercilium, tamquām Atlante cœlum, Medica niti facultas uideatur; si opera inspicias, nihil, aut parum admodum ueræ notitiæ, & solidæ intelligentiæ se habere significant; quæ, inquam, istorum consuetudo est, nisi, ut simulata quadam eruditione, & generali remediorum per tractatione, quæ haberi etiam posse sine ullis litteris per solam experientiam uidetur, pecuniam à miseris, qui se, suamque uitam eorum fidei commiserint, extorqueant ad insatiabilem illam suim, acerrimamq; diuitiarum cupiditatē explendam, quam sibi vnam proposuerunt? Quid igitur mirum, si despiciantur, homines ineruditæ, & inepti, non solum reprehensione, sed etiam poena dignissimi, quod non vitam hominum conseruare, ut ipsorum ars pollicetur, sed potius auferre uideantur, propter eius ipsius, quam profitentur, artis ignorationem? de quibus moriens Adrianus locutus est, eum exclamauit, TVRBA Medicorum Principem interfecit. Quid? quod illud ipsum studium, quod sine dubio immēsum, ac prope infinitum est, ad eam paucitatem, easq; angustias redegerunt, ut paucis quibusdam cognitis præceptionibus, uel remediorum, vt ipsi appellant, receptionibus, Dialectica vix in limine salutata, Philosophia vix de facie, uel de nomine cognita, multi paucorum mensum spatio se tamq; egregios Medicos uidentent; ac sine vlla bonarum litterarū cognitione se inter Medicos primos, omni dignitate præstataes, omni claritate fulgentes uelint enumerari? Id quod, mihi credite, Aud. nullam aliam evenit ob causam, nisi quod præclara litterarum studia prauis hominum moribus ad quæstudum, prædamq; tendentibus corrupta sunt; proq; græcis, & latinis vocibus, quibus omnis doctrina elegans, & libero homine digna comprehensa est, barbara quædam garrulitas, quæ omnia infuscat, adamatur. Quasi vero quidquam recte intelligi sine linguarum, & illarum præcipue, quæ omnium laudandarum artium fontes vberimos continent, intelligentia queat. Cur enim Hippocrates, cur Galenus, cur alii veteres Medici tam exquisite in litterarum studio sibi elaborandum

quæ opera nonum quaque, quod ille ait, in annum promeda sunt, quo perficiantur, & quæ non nisi longissimo temporis spatio perfici queunt, facilitiora existimentur, quam istorum responsa, quæ nihil saepe aliud, quam meras continere nugas compierunt. Intelligitis ergo, præstantiss. Audit. quemadmodum non solum rudes, atq; indocti homines litterarum elegantiam aspernentur, verum etiam illi, qui maxima doctrinam profitentur. Quorum quidem pessimum exemplum secuti iuvenes plurimi ita à recta studiorum ratione deflexerunt, ut benæ eis litteræ sordeant: ut nouum quoddam, & ante inauditum loquendi genus passim usurpetur: ut quod quisque verbis minus elegantibus, magisq; nouis fuerit usus, atque in disputationes suas maiora quasi monstra intulerit, eò doctior habeatur: ut, si quis Philosophia, & Dialectica, si quis Medicina, si quis Iuri ciuii datus, oratione paullo limatior sit, is potius Grammaticulus, & tenuisimarum Grammaticæ rationis quisquiliarum collector, ad vocum illecebras, tamquam ad sirenos scupulos adhærescens, quam grauioris disciplinæ sectator habetur. Eodem pessimo exemplo factum est, ut inueterauerit, & in animis hominum penitus infederit perniciosissima quædam opinio, nihil in his litteris contineri, nisi humile, nisi leue, magis puerilibus rudimentis, quam uirili scientiæ accommodatum. Quamobrem non solum doctores, qui eas pertractant, uerum etiam iuvenes, qui earum se studiosos ostendunt, parum graues existimantur; cumque antea illi, qui in clarissimis gymnasijs nobiliorum nomen prætendere consueuerunt, hæc studia in primis exercere solerent, & Humanitatis scholas potissimum frequentare: nunc, quamvis huiusmodi litteris, & huiusmodi doctribus tam indigeant, quam qui maxime, atque in harum rerum cognitione positum esse magnum uitæ decus, & ornamentum, magnum commodum, & adiuuentum confiteri cogantur: plerunque tamen uerentur, ut hæc nostra quotidie frequentata subsellia suam ipsorum grauitatem plus nimio demittant. O peruersissimam opinionem. Equidem, Audit. illud magis paterer, & minus moleste ferrem, ut culpa uel in me, uel in alios, qui hasce litteras docent,

Y reijcen-

uis. O tempora, o mores. Alter uero, cum in conscriberenda sententia sua de re quadam suo, tamq; sapientis, commissa cō filio (ad istos enim, tamq; ad Apollines configunt) multe sane dies, & menses poneret, ac modo publicarum disputationum, modo aliarum rerum excusatione vteretur, quotidieq. magis recentiorum iurisconsultorum tricis, atq; madris se inuolueret, nec inquam proferendæ sententiaæ finem faceret; conquerentibus de cunctatione ijs, quorum id intererat, oratorum forte, & poetarum studio deditis; An uero, inquit, putatis agi nunc, quomodo oratoriaæ nugæ, & poeticæ ineptiæ concinnentur, non quomodo obscurissima iuris quæstio declaretur? Illa sint, ut uere sunt, uir quam inania, & leuia, ad componendum facilia: at prudentum de iure ciuili responsa non nisi longo temporis spatio ad meditandu, & contemplandum dato reddantur. Quasi facilissimum sit orationem, uel poema confidere: & quasi barbara ista responsa non saepe talia sint, ut nihil fere aliud contineat, quam quod natura duce posse intelligi videtur. O de prauatam disciplinam, & corruptam consuetudinem. Iurisconsulti quondam ita uerborum elegantiae studuerunt, ut in eorum potissimum scriptis latina elucere eloquacia videatur: nunc reperiuntur Iurisconsulti, qui à Latinitate cando re sint penitus alieni. Illi intellexerunt, uerba esse non solum legitimæ disciplinæ, uerum etiam bonarum artium omnium firmissima fundamenta, ut, qui illorum uim melius teneret, harum quoque cognitionem maiorem haberent: hi res inter se natura coniunctas, uerborum scientiam, & præceptorū notitiam disiungunt. Illi sen. per ornate, quæ sentiebant, elo quebantur: hi onnia impure, & depravate loquuntur. Illi ad hominum eloquentium imitationem scribendo se effingebant: hi elegantissimos quosq; scriptores, si Dijs placet, irrident. Illi poetarum, & oratorum auctoritatem tanti fecerunt, ut grauissimis saepe eorum testimoniosis in scriptis suis usi sint; quod facere consueuerunt etiam Medicis; etiam Philosophi; etiam ceteri omnes: hi audent uel politissima quæque poemata, & ornatissimas orationes, quamvis essent ipsius Homeri, Virgili, Demosthenis, Ciceronis, res leues nominare, & cum suis tumultuosis opinioribus couferre; ut

relicentur, eamque uel ingenii, uel doctrinæ uarietatem, atque præstantiam, quæ in hoc munere obeundo requiritur, longe à nobis obesse obijeretur; quod etiam nos, qui minus nobis arrogamus, in his studijs magnitudine infinitis confitemur, atque ita confitemur, ut magis quotidiani laboribus, atque assiduis vigilijs nostris, quam illa perfecta, & absoluta, qualis postulatur, sapientia, & eloquentia eorum dignitatem tueri nos posse existimetis; paterer, inquam, & ferrem, siquid turpitudinis horum studiorum professioni euenit, id quorundam hominum, qui ea profitentur, uitio, non artium, quæ tractantur, naturæ tribui; sed dici has litteras inanes, & nugatorias, nulla grauitate, & magnificentia præditas, pueris magis, quam uiris congruentes, & ob id minus curandas, minusque complectendas, non patiar, non feram, non tolerabo, idque falsissimum esse, atque indignissimum, quod in hominum ore ueretur, semper prædicabo. Non nulli uero eam animo imbibere sententiam, à viris quibusdam grauibus maioris fortasse auctoritatis, quam opus sit, sparsam, atque diffusam, ut, quæ studia omnem hominis ætatem requirunt propter amplitudinem suam, & vitæ longissimæ spatio vix, aut ne uix quidem perfici queunt, ea unius, uel alterius Grammaticuli, & Rhetoris præceptis memoriarum mandatis, ipsi absolu posse arbitrentur, studijsq; omnibus in uarias classes diuisis nefas esse ducant, si quis eorum, qui alia profitentur, nostra amplius attingant, quæ nihilominus, uenint, nolint, si cum alijs coniungantur, cetera perficiunt, ceterisque maximo sunt ornamento, atque adiumento. Nonne igitur patet in tam prauis hominum moribus, cur tum panci sint, qui dicendi, & scribendi laude floreant? qui ad ueterum elegantiam proxime accedant? qui barbarie non sint inquinati? Nonne maxime dolendum est, præclara litterarum studia præcipue in Italia deserit, & quæ passim per totam Italianam floruerunt, ea uel in ipsis Italæ præclarissimis gymnasij parum honoris habere? Dictu quidem mirabile, atque adeo etiam miserabile, quomodo euenerit, ut, ubi discabantur vulgo græcæ litteræ, perinde ac à nobis nunc discuntur latinæ, ubi nativa fuit latina

lingua

lingua, ubi dominata est, ubi ex scriptis tot clarissimorum virorum maximam claritatem acquistuit, ibi non solum græcæ linguae cognitione, uerum etiam ipsa latinitas desideratur, ibi latinæ linguae candor prorsus commaculetur, inde latina eloquentia ed exteris nationes amandetur; & ubi Musæ potissimum cultæ sunt, ibi incultæ, incomptæ, inornatae conspiciantur; & quidem cum magno totius Italæ dedecore, quæ cum antea omnis humanitatis, atque elegantiæ sibi gloriam asciuerit, nanc nulla prope antiquæ monumenta laudis, & veteris insignia dignitatis agnoscit. Quantum autem turpe fuit Italæ hominibus bonas litteras despicere, tantum splendoris accessit Germanis, Polonis, Gallis, alijsque gentibus, & nationibus, quæ eloquentiam ab Italæ finibus quodammodo electam in suum finum, & complexum recipere visæ sunt; quarum quidem gentium, & nationum homines cum in nostras ueniunt regiones, mirantur, & merito mea quidem sententia mirantur, nulla hic prope eius uestigia existere; cumque eorum plerique litterarum elegancia delectentur, sæpen numero doctores Italos barbare disputantes audire non possunt, & ab eorum auditione auertuntur, litterasque non solum græcas, sed etiam latinas in Italia latitantes uix inueniunt, an si prauis hominum moribus, malisque institutis ipsi quoque, ut interdum euenit, de recta studendi uia deducantur, pluris hæc nostra studia, quam cetera faciunt. Vos igitur collaudo, iuuenes magnanimi, & generosi, qui ex longinquis terrarum regionibus ad hunc amplissimum doctrinæ mercatum concurrists, quod eas linguas, quæ tot excellentium poetarum, admirabilium oratorum, præstantium historicorum, nobilium philosophorum, ingenuarum artiū tribuunt cognitionem, studiosissime perseguamini; cumque græca non contemnatis, latina in primis complectamini; ueteremque latine loquendi consuetudinem in bonis artibus pertractandis retineatis; atque Humanitatis studia ita exerceatis, ut omne decus, & ornamentum in eis positum esse existimetis. Vos uero, illustris Latinorum progenies, & generosa propago, etiam, atque etiam horror, ut simul cum lingua græca, quæ latinis charissima fuit, latinitatem

Y 2 com-

commendatam habeatis; & in alia quidem studia vehementer incumbatis, sed in ea uehementissime, sine quibus alia rudia, & imperfecta existunt; Humanitateque homines colatis; & in primis caueatis, ut quorundam doctorum maior fortasse auctoritas, quam præstantia vos à rectissimis studijs abalienet. Non enim uerum est, immo tam falsum, quam quod falsissimum illud, quod uobis persuadere conantur, Humanitatis studium humile, atque abiectum esse: sed tanta grauitate, & magnificentia præditum cōperitur, tanta rerum, atque artium cognitione instruum, ut, qui hoc negligat, is non disciplinam aliquam despiceret, verum vniuersum doctrinarum orbem contemnere videatur. At res inanes, & leues eo ipso continentur, ut poetarum fabulæ, quomodo oppugnatum sit Ilium, quomodo Aeneas in Italiam uenerit: ut comendæ orationis præcepta, quid sit similiter desinens, similiter cadeñs, & alia eiusmodi non magni momenti negotia. Quasi poetica figura sub suis inuolucris, atque integumentis omnem elegantem doctrinam non contineant; nec de promantur à poetis ex ipsius philosophiæ penetralibus multa de naturæ primordijs, de rerum omnium caussis, de animorum immortalitate, de rebus bonis, & malis, de Rebus p. gubernandis: quæ uero traduntur de ratione dicendi, non eò pertineant, ut principem homines locum in ciuitatibus teneant; nec ab oratoribus agantur ea, quæ in communi vita usu, in gerenda Repub. in humana societate concilianda plurimum semper valere uisa sunt. Ut igitur his litteris res poetica tantum, & oratoria comprehenduntur, non tamen doctrina inanis, & ludicra pertractatur. Sed tantum abest, ut hæc duo sola rerum genera ad humaniores litteras referantur, ut, quicunque eas profiteatur, præter poeticæ, & oratoriæ facultatis cognitionem, præter græcæ, & latinæ, atque aliarum etiam linguarum notitiam, præter elegantissimam loquendi, & scribendi rationem, in eo totius antiquitatis memoria, totius Dialecticæ, totius Philosophiæ, totius Iuris civilis, atque adeo vniuersi liberalium disciplinarum orbis intelligentia desideretur. Eant modo illi, qui alia studia profitentur, & quibusdam distin-

distinctionibus ad unum sine dubio genus pertinentibus non admodum infinitis mente comprehensis, se tamquam Dialecticos, tamquam Philosophos, uel Iurisperitos, uel Medicos venditant: conferant iam studia sua cum Humanitatis studio, considerentque tum illorum, tum huius magnitudinem, & uarietatem: profecto inuenient, illa quidem difficilia esse, sed tamen eiusmodi, ut laboribus, & vigilis superari aliquando queant; hoc nostrum tantum, tamque uarium esse, ut ei nulla uis ingenij, quantumuis magni, nulla singularis industria satis esse posse uideatur. Quid? quod non solum uniuersus Humanitatis orbis liberales omnes artes complectitur, sed singulæ quoq; eius partes tractare res omnes perhibentur? Nam, ut taceam alias disciplinas, quæ tam arcto inter se uinculo colligata sunt, ut uix unam sine altera liceat intelligere, non solum poetarum facultas rerum omnium materiam propositam habet: uerum etiam oratoria ratio, vel ipsius Aristotelis testimonio, in re quaque pertractanda uersatur. Quamquam enim præcipuum oratoris munus est agere de rebus ciuilibus: tamen eloquentia nullis est circumscripta cancellis, nullos habet certos sibi fines, terminosque constitutos, quacunque lubet, uagatur, & excurrit, ac de rebus omnibus etiam ad alia disciplinarum genera pertinentibus ita disputat, ut eas reddat suas. Neque tamen censenda est extra suos limites egredi, &, quæ sunt aliorum, occupare, cum amplissimum rerum omnium campum omnibus propositum sua colat industria. Non enim eodem modo, quo alijs, altissimas quæstiones tractant oratores, nec, si sapiunt, à se ipsis recedunt, quod prohibet Aristoteles; sed mea quidem sententia hoc differunt ab alijs; quod illi argumentis proprijs: hi communibus utuntur. illi magis necessaria, quam probabilia: hi magis probabilia, quam necessaria sequuntur. illi curant, ut intelligantur tantum ab ijs, qui eadem profitentur: hi, vt ab omnibus. illi ieune, & exiliter omnia disputant, maxime si cum his conferantur: hi dicendi ubertate, & copia delectantur. Quamobrem recte Zeno eloquentiam fusæ, lateque omnia pertractantem, palma illius manus, cuius digiti essent diducti, & dilatati, esse similem dicebat.

cebat. Nec immerito propositæ sunt oratoribus non solum quæstiones ciuiles certis personis, locis, temporibus, actionibus, negotijs definitæ: uerum etiam philosophicæ, uniuersales, & infinitæ, quas illi ad communem intelligentiam accommodate, varie, copiose, eleganter ita persequuntur, ut facile oratoria præstantia diuidetur. Et non solum quæstiones infinitæ, quæ pertinent ad agendum, de rebus bonis, aut malis, extensis, aut fugiendis, honestis, aut turpibus, utilibus, aut inutilibus, iustis, aut iniustis, de motu animi gignendo, uel sedando, plane ue tollendo: sed etiam, quæ referuntur ad cognoscendum, siue quæratur aliquid coniectura, siue definitione, siue consecutione. Quod negotium cauete, Aud. vt leue existimetis: & cum alias artes, quæ ad Humanitatem pertinent, satis graues putate: tum Rhetoricam propter grauitatem suam dignissimam esse, in qua maximum studium ponatis, uobis persuadete; præcipue uero Rheticam Aristotelis, quæ quod ceteris obscurior, & difficilior est, eò maiorem eloquentiæ studiosis affert utilitatem. Neque enim neganda est eius obscuritas, ac difficultas, etiam si (ut narrem uobis rem quidem ridiculam, sed ueram, atque ad id, quo de agitur, factis accommodatam) quidam nobilior adolescens fecus sibi persuaserit. Nam, cum superioribus annis hanc ipsam Rheticam interpretaret, multaq. ex Philosophorum adyis, ut quandoque opus est, ad eam explicandam depromeret; ipse à quodam amico suo interrogatus est, an huiusmodi arti tam præstanti, tamq. necessariæ studeret; qui, cum adhuc Grammatici alicuius opera indigeret, & nihilominus, vt doctior haberetur (quod facere solent non pauci) maiores huius gymnasii doctores audiret, ac intelligere se non solum obstrusiora Dialecticæ præcepta, cuius vix dum elementa perceperat, sed occultioris etiam Philosophiæ decreta, quæ à sapientissimis uiris in hoc gymnasio declarantur, profiteretur, audacius, quam prudenter, Cum post prandium, inquit, aut post cœnam nimium oculum fugio, ut tenui aliqua re, quæ haud magnam requirat studii indagationem, mihi animum cblestem, libros Artis Rheticæ Aristotelis percurro. Visus quidē

quidem est adolescentulus impudentiusculus, atque adeo etiam imprudentiusculus rem aliquam leuem nominare, perinde ac Aesopi fabellas, Luciani fictas narrationes, aut aliquid etiam leuius, cum Artem Rheticam Aristotelis nominauit. O miram inscitiam. Ergo, in qua arte maxima ingenia diu, multumq. elaborarunt, & grauissimi viri defudarunt, ea ab absurdis adolescentibus leuis existimabitur? Quam artem clarissimi quoque Philosophi adeo obscuram iudicarunt, vt aliquibus commentariis censuerint interpretandam, atque illustrandam, ea tam facilis habebitur, ut uel oscitantibus, & dormitantibus corporibus percipi queat? Qui Philosophus ut omnia scripsit sapientissime, atque elegantissime, sic omnia persecutus est tam subtiliter, tam acute, ut uix unquam sine interprete, atque explicatore intelligi posse videatur; is rationem dicens tam plane tradidisse putabitur, ut qui eo duce oratores fieri cupiunt, iis nullo studio, nulloque labore opus sit? Id opinari, Aud, stultissimum effet. Quamobrem ut huius ipsius artis obscuritatem, & difficultatem contemnū: sic ad eam claram, facilemque reddendam omne nostrum studium, officium, laborem, diligentiam, quantum denique ingenio, atque industria efficere unquam possumus, uobis pollicemur; atque deferimus; quod exquisitas epulas à locupletissimo Philosopho in hoc libro secundo animis uestris apparatas sumatis; & mentes uestræ suauissimis artis Rheticæ cibis pascantur; maxime uero, si ea, quæ à grauissimo auctore de moribus, de affectibus, de argumentis tradita sunt, nec leuia, nec præsentia, & auribus uestris indigna, contempto, pessimo hominum exemplo, existimabitis: si labores nostros, qui ad uestrum decus, & commodum libentissime conferuntur, singulari vestro studio, honesto concursu, benigna attentione comprobabitis: si maledicos homines industriæ uestræ contemptores, gloria obtrectatores, qui nos puerilia tantum consecrari falso in uulgo iactant, maleuolos agnoscentis, eorum auctoritatem aspernabimini, eos monebitis uestris uerbis, ut desinant maledicere, nisi uelint infantissimi, inuidentissimi, ineptissimi apud omnes prædicari.

Cum

atq. ediscenda proposuerunt; eis persuadent, satis magnum cursum, atq. progressionem factam esse ad eloquentiae excellentiam, eosq. ne Grammaticae quidem quisquilijs perfruste cognitis, nedum oratoria facultate percepta, ad grauiores artes prouehunt; vel propter alias causas humanas: uos tamen, præstantissimi iuuenes, contemnere non debetis, persuasum habentes illud, quod est tam certum, quæm quod certissimum, ad oblectandum animum esse aptissimas, ad uitam hominum tuendam commodissimas, ad gloriam consequendam opportunissimas, genere quidem infinitas, sed frumentu vberimas, iucunditate suauissimas, ratione ita honestas, ut quas artes eis præferatis, non facile inuenire positis. Cū autem prior nobis Rhetorica proposita sit explicanda, de Poetica suo tempore agemus, nunc ne horam, quæ nobis datur ad dicendum, inanibus prolusionibus conteramus, nihil præter rem agemus, sed in ipso explicationum nostrorum prope vestibulo, præstantiam rerum, quæ in Rhetorica traduntur, perpendemus. Octo enim pertractantur animis ingenuis maxime congruentia; in primo libro tria, tum consilium omnibus, qui bene agere uolunt, necessarium; tū laus ad virtutem incitamentum; tum iudicialis ratio maxime pertinens ad iustitiam conseruandam: in altero libro altera tria, primum mores, vnde morati homines, morati oratores, morata oratio; deinde affectus, qui in animis hominū dominantur; postea rationes, & argumenta, quæ nos ostendunt uere homines, id est, rationis participes, & ratione yte tes: in tertio libro duo, nempe ornatus, & ordo orationis; qui bus sane rebus quid præstantius, quid excellentius, quid homine libero dignius potest excogitari? Age enim, ut de arte consultrice primum agamus, cuius, vt ait Aristoteles, tamquæm pulchrioris, & ciuilioris, primus locus est in Rhetorica; nonne magnum quiddam, atq. eximium esse fatebimur, posse in senatu consulere senatoribus, quid expediat, vel non expediat ciuitati, & consilium congruenti oratione explicare, hortariq. illos ad decus, & dignitatem patriæ retinendā, ad utilitatem, & commodum conseruandum, atq. augēdum, ad publicum bonum sequendum, & publicum malum fugiendum? Id enim primum docet hæc ars, quomodo de pa-

Z randis

C V M  
INCIPERET  
EXPLICARE ARTEM  
Rheticam Aristotelis .  
ANTONII RICCOBONI  
Oratio.



ON paruum sanè onus hoc anno pro mea singulari erga vos benevolentia suscepi, studiosissimi Aud. ut in prioribus studiorum nostrorum curriculis artem Rheticam Aristotelis, in posterioribus Poeticam interpreterer. Quas quidem artes ad humanitatem præcipue pertinentes quamuis pauci in hoc frequentissimo gymnasio complecti uideantur; vel quod damnent studium Humanitatis, prorsus inhumani, earum rerum contemptores, quas ignorant; uel quod depravatos nostri seculi mores sequantur, vendibiliboribus quibusdam studijs plus nimio addicti, ut ea tantum curent, unde quæstum faciant, cetera aspernentur; uel quod à non nullis artificiofissimis hominibus decipiatur, qui leuioribus quibusdam præceptis traditis, quæ ipsi vndique excerpterūt, atq.

fanos militans efficere nesciuit, pulcherrimum Atheniensium exercitum dicitur perdidisse. Idem notum fecit Pericles, qui Athenensibus obscuratione Solis territis causas eius rei sua reddit eloquentia, tunc cum gubernatorem quoque Triremis suæ perterritum ob eandem causam, atq; animi dubium, conspiciens, opposita ad eius faciem chlamyde, ue latisq; oculis, rogauit, numquid horrendum eius rei signum, putaret, abnuenteq; illo, Quid igitur interest, inquit, aut quid distat hoc ab illo, nisi quod maius quiddam chlamyde est illud, quod nunc tenebras agit? Atque haec est prima Rhetorica materia ad consilium tum publice, tum priuatim, tum domi, tum militia, de rebus agendis explicandum, maxime accommodata. Sequitur altera, vt uirtutes extollantur, ac uitia deprimentur, & laudes celebrentur in primis Dei, quem Moses primum Hebraeos ex Aegypto in patriam reducens, posteaquam manu rubrum diuinatus cedentibus aquis transgressus est, carmine heroico dicitur laudasse: dein de uero etiam hominum virtute præstantium, ut Euagora, & Helenæ apud Isocratem; vt Cæsar, & Pompeii apud Ciceronem; vt aliorum apud alios. Nam ex omnibus veterum institutis, quæ multa sunt, & præclara ad bene, beateq; uiuedum accommodata, nullum meo quidem iudicio est neque ad excitandos hominum animos opportunius, neq; ad uitæ ciuilis finem adipiscendum aptius, quam ut in bene constituta ciuitate, quantum quisque mereatur, tantum eidem laudis publice tribuatur. Ita enim & ad labores suscipiendos, & ad pericula pro communi salute subeunda gloria studio si mirabiliter inuitantur. Cui muneri obeundo ita seruit Rhetorica, ut omnium uirtutum syluam ante oculos proponat, & quæ efficiunt uirtutem, quæq; efficiuntur à uirtute, præclare doceat, ex quibus quasi vberrimis fontibus omnis laudatio deriuatur, ac perspicue demonstret, quo quidque modo laudari debeat. Non enim solum Deus, & homo laudibus effertur: verum etiam quandoq; caussa délectationis ali quod animal rationis expers; vt à Luciano musca; à Virgilio apes; ab Ouidio psitacus; à Plinio formica, & luscina; ab Apuleio asinus. Immo uero etiam interdum res inanimæ; vt febris quartana à Phauerino Philosopho, digno mea qui

randis pecunij publicis agendum sit; quomodo utilis, & fa  
lutaris de bello, aut pace sententia dicenda: quomodo de cu  
stodia regionis oratio habenda: quomodo loquendum de  
rebus ad victimum pertinentibus vel in urbem importandis,  
vel ex urbe exportandis: quomodo leges suadenda, uel dis  
fundenda: quomodo omnia tractanda, quæ Reip. interesse  
uideantur. De quibus quoniam suasiones ducuntur ex felici  
tate, vel partibus felicitatis, ex generibus bonorum, ex ijs,  
quæ faciunt ad finem Reip. consequendum; dici non potest,  
quam singularis, quamq; admirabilis sit doctrina Aristote  
lis de ipsa felicitate, de ipsis partibus felicitatis, de ipsis ge  
neribus bonorum, de ipsis finibus Rerum. Quæ quidem  
præceptio sane egregia, & præclara non solum ualeat com  
muniter ad publice consulendum, verum etiam priuatim ad  
singulos homines cohortandos, ut, si nobiles sint, nobilita  
tem conseruent, si ignobiles, ad nobilitatem uirtutibus si  
bi aditum patefiant: vt liberi bonos se præsentent erga par  
tes: ut diuines quidem diuinitus utantur, quæ magis in utendo,  
quam in possidendo consistunt, pauperes vero in opiam to  
lerent: vt bona existimationes homines eam pro uiribus tu  
eantur: vt honorati quotidie magis studeant tum publice,  
tum priuatim benefacere, cum à beneficentia, & benefica vo  
luntate omnis honor proficiscatur: vt, qui uirtutibus corpo  
ris præstant, eas tum demum plurimi faciant, si cum uirtu  
tibus animi sint coniunctæ: ut & senes, & adolescentes, & co  
stanti ætate uiri suis fungantur officijs: vt amici in rebus ho  
nestis amicos non deserant: ut nec fortunati prospera fortu  
na nimium fidant, nec infortunati in summam rerum despe  
rationem adducantur: denique vt omnes obseruent, quod de  
ceat obseruari. O uirtutatem omnibus complectendam. Ne  
que vero domi solum, sed etiam militia plurimum prodest  
eloquentia. Quod non modo declarauit Cato ille Censorius,  
qui nec optimum senatorem, nec optimum imperatorem se  
esse posse existimauit, nisi simul optimus esset orator: verum  
etiam Sulpitius Gallus in exercitu L. Paulli aduersus Per  
seum Maeæ doniæ Regem bellum gerentis, qui sua eloquen  
tia fecit, ne militum animi cognita caufa deficients Lunæ  
conterrentur. Quod, quia Nicias in Sicilia contra Syracu  
fanos

dem sententia, cum ista sua quartana laudatione, qui perpe-  
tua quartana laboraret: iniustitia Romæ audiente Catone à  
Carneade, qui pridie iustitiam laudauerat: stultitia à stultissimo Erasmo: alia ab alijs. Nunc uenio ad tertiam materiā,  
quæ est tota iudicialis, & accusationem continet, atq. defen-  
sionem, maxime necefaria, vt scelera, fraudesq. nocentium  
subijciantur odio ciuium, suppicioq; constringantur, & in-  
nocentia iudiciorum pœna liberetur. Quo quidem in gene-  
re maximam oriri de oratore admirationem, maximamq. eſ-  
ſe eius gloriam, doctissimi homines censuerunt. Ac utile qui  
dem eſt, vt accusatores multi sint in ciuitate ad audaciam  
metu continentam; quorum quidem alios Latinorum elo-  
quentissimus anſeres appellauit, qui tantum clamarent, noce-  
re non posſent, alios vero canes, qui & latrare, & mordere  
posſent: ipsaq. accusatio quandoq. non potius accusatiō,  
quam defensio uidetur, dum accusatur vnaus, defenduntur  
complures mortales ab illo vno omni iniuriarum genere di-  
uxati: multiq. clarissimi viri nomen accusatoris minime re-  
formidarunt, vt inter ceteros M. Cato ille sapiens, vir præ-  
clarissimus, & prudentissimus, ut Cn. Domitius, vir præ-  
stantissimus, ut Lentulus is, qui Princeps Senatus fuit, ut P.  
Africanus, homo virtute, fortuna, gloria, rebus gestis am-  
plissimus: ac magnum sane eſt, atq; haud ſcio, an maximum  
onus accusatoris, quem primum oportet eſſe integritate, at-  
que innocentia singulari, cum minus ferendum sit rationem  
ab altero vitæ reposcere eum, qui non poſſit ſuę reddere; de-  
inde firmum, uerumq. non præuaricatorem, non calumnia-  
torem, deniq. præditum magna facultate agendi, uersatum  
non mediocriter in dicendo, non expertem rationis, & exer-  
citatis eius, quæ in foro, iudicijs, legibus, maiorum exem-  
plis, atq; institutis spectatur. Sed, cum accusatio laudata ſit,  
maxime in iuuenibus, vt in L. Crasso accusatore C. Carbo  
nis; & accusare liceat duabus potiſſimum de cauſis, Reip.  
& patrocinij: traditum tamen eſt, & recte traditum, minus  
laudabilem eſſe accusationem defenſione, propterea quod,  
quemadmodum latinæ eloquentiæ Princeps scriptum reli-  
quit, Duri hominis, uel potius uix hominis uidetur, peri-  
culum capitis inferre multis, idq. tum periculofum ipſi eſt,

tum

rum ſordidum ad famam, committere, vt accusator nomi-  
netur, quod M. Bruto ſummo genere nato, illius filio, qui  
iuris ciuilis in primis peritus fuit, dicitur contigifſe. Idem  
grauifſimus auſtor præcepit, Innocentem quidem in iudi-  
cio capitis arceſſi ſine ſcelere nullo paſto poſſe; ſed nocen-  
tem aliquando, & nefarium, impiumq; defendere, non eſſe  
habendum prorsus religioni contrarium, quod uelit hoc  
multitudo, patiatur consuetudo, ferat etiam humanitas. Ari-  
ſtoteles uero utramq; partem æque instruxit, tum accusa-  
toris, tum defensoris, ut ex utraque parte exquireretur,  
Qui, Quibus, Quas ob cauſas iniuriarum faciant, hominesq;  
accuſarētur tamquam iniuriosi, ac defenderentur, tamquam  
ab iniuria alieni. Atq. hæc ſunt illa, quæ in toto libro primo  
clarissimis præceptis illustrantur, tres formæ Rhetoricæ, vel  
tria genera orationum oratoriārum, deliberatiuum, demon-  
ſtratiuum, iudiciale. Sequuntur in altero libro altera tria,  
quæ ſcilicet cernuntur in moribus eius, qui dicit: in eo, ut  
auditor afficiatur aliquo modo: in ipſa ratione, quia demon-  
ſtrat, uel apparet demonstrare. Quo triplici artificio ani-  
mos auditorum tum conciliamus, ſeu delectamus, quod di-  
citur eſſe ſuauitatis, & honorarium: tum permouemus, & fle-  
timus, quod uictoria, & palmarium: tum docemus, & ra-  
tionibus ad uerum, & iustum inducimus, quod neceſſitatis,  
& debitum. Vna enim ex his tribus rebus, inquit M. Tul-  
lius, præ nobis ferenda eſt, vt nihil aliud, niſi docere velle  
uideamur: reliquæ duæ, ſicut ſanguis in corporibus, ſic illæ  
in perpetuis orationibus fuſæ eſſe debebunt. Ac illa quidem  
pars, quæ moratam conformat orationem, non ſolum do-  
cet, quomodo loquamur, ſed etiam quomodo uiuamus; ut  
primum tres præstantiſſimos mores præ nobis feramus, pru-  
dentiam, probitatem, benevolentiam erga eos, qui nos au-  
diunt, uel nobiscum verſantur: deinde orationem ad homi-  
num mores accommodemus; ſiue ſint mores ex affectibus,  
ut iratorum, lenium, amantium, odio habentium, ſperan-  
tium, metuentium, verecundantium, impudentium, grati-  
ficantium, & aliorum ſimiliter; ſiue ex habitibus ut pruden-  
tium, imprudentium, iuſtorum, iniuſtorum, fortium, igna-  
uorū, temperantiū, intemperantiū; ſiue ex aſtitibus, ut iue-  
nu m,

ueat, contemnat, admiretur, oderit, diligat, cupiat, satietate af-  
ficiatur, speret, metuat, lætetur, doleat. Quarum rerum om-  
nium exquisitam tractationem optime docuit Philosophus.  
Sequens vero materia libri secundi in parandis argumentis,  
seu rationibus posita est, quibus profecto quātum homines  
belluis antecellunt, tantum homines hominibus præstare  
posse existimantur. Hæc autem inueniendorum argumento-  
rum ratio. sive quārantur propositiones omnibus causam  
generibus communes ab Aristotele diligenter explicatae, si-  
ue loci Topicæ ab eodem subtiliter explanati, partim enthy-  
mematum uerorum, partim adumbratorum, partim dissol-  
uendorum, atque refutandorum : multum sine dubio ualeat  
non solum ad bene consulendum ciuibus de communi com-  
modo, & dignitate, reuocandoq; illos à flagitio, ad laudan-  
dos claros viros, & vituperandos perditos homines, ad accu-  
sandos iniustos, & defendendos iustos: verum etiam ad quā-  
libet rem probandam, ad quamlibet quæstionem pertractan-  
dam, ad disputandum de quaue re in contrarias partes.  
Quod in primis Aristoteles docuisse auditores suos fertur :  
quodq; mirabiliter professi sunt Gorgias, Thrasymachus,  
Prodicus, Protagoras, qui primi tractasse locos communes  
perhibentur. Hæc est illa facultas, quæ docet usum sane ad  
mirabilem oratoriæ argumentationum, enthyematis,  
& exempli redditq; oratores partim enthyematicos, qua-  
lis fuit Demosthenes, cuius enthyemata lucernam olere  
Pytheas dixit, qualisq; Aristides, quem appellatum fuisse en-  
thyematicum doctissimi homines obseruarunt : partim  
exemplares, quales potius extitisse Ciceronem, & Salustium,  
quām enthyematicos, quispiam merito existimauerit. Re-  
liquæ sunt diuæ materia libri tertii, de elocutione, & quomo-  
do conueniat ordinare partes orationis. Ac elocutionis qui-  
dem rationem multi nostris temporibus aspernantur. Quæ  
causa est, quamobrem, cum multi in Patauinis his nobilib.  
Scholis, multi Bononiæ, multi in Insubribus ad Ticiñum, mul-  
ti in Latio, multi in Etruria, multi inter Transalpinas natio-  
nes litterarum studia profiteantur, pauci tamen in his excel-  
lere comperiantur. Non enim uestigis insistunt ueterum il-  
lorum, qui sibi persuadebant sequi litteras, ita ut nulla uerbo-  
rum.

num, uirorū, senum; sive ex prospera, aduersaue fortuna, ut  
nobiliū, ignobilium, diuitum, pauperū, potentium, impoten-  
tiū, fortunatorum, infortunatorum; quorum quattuor gene-  
rum mores (non enim sunt plures) sapientissime à philoso-  
pho demonstrantur. Quid dicam de affectibus? Quām præ-  
clara, quām egregia, quām præstans est Aristotelis de illis  
præceptio? Ut de vnoquoque illorum facile cognosci pos-  
sit, Qui, In quos, Quas ob cauſas afficiantur, exempli gratia, Qui,  
Quibus, Quas ob cauſas irascantur, Qui, Erga quos, Quas ob cauſas  
deliniantur, Qui, Quos, Quas ob cauſas ament, uel odio ha-  
beant; & de ceteris similiter; vnde fit perspicua cuiuslibet  
affectus commonendi ratio, quæ in primis admirabilem ef-  
ficit eloquentiam. Hæc enim illa fuit, propter quam Periclé  
fulgurare tonare, vniuersam permiscere Græciam poetæ ve-  
teres tradiderunt. Hæc illa fuit, propter quam Cicero sceler-  
atas Catilinæ, & Coniuratorum machinationes, nefariaq;  
confilia fregit, atque euertit. Hanc sequens Galba C. Sulpi-  
tij Galli propinqui sui Q. Pupillum filium pene in humeros  
suos extulit, qui patris clarissimi recordatione, & memoria  
fletum populo moueret; & duos filios suos paruostutelæ po-  
puli commeadauit, ac se, tamquam in procinxiu testamen-  
tum faceret, populum R. tutorem instituere dixit illorum or-  
bitati, ita ut, quamuis iniuria, atque odio populi premere-  
tur, huiusmodi tamen Tragœdiis fuerit liberatus. Hanc ser-  
uans M. Antonius in cauſa peroranda non dubitauit excita-  
re reum Consularem Manium Aquilium, eiusq; dilorticare  
tunicam, & iudicibus cicatrices aduersas senis Imperatoris  
ostendere, tūc cum C. Marius mecerorem talis orationis mul-  
tum lachrimis suis adiuuaret, ac ipse M. Antonius, crebro il-  
lum compellans, collegam ei suum commendaret, ipsumque  
aduocatum ad communem Imperatorum fortunam defen-  
dendam iuuaret. Hac eadem vtens Cicero ita solitus est iudi-  
ces commonere, ut quadam in cauſa puerum infantem in  
manibus perorans tenuerit, & alia in cauſa excitato reo no-  
bili, sublato etiam filio paruo, plangore, & lamentatione to-  
tum forum compleuerit. Neque uero solum huiusmodi ra-  
tio miseratione mentem iudicū permouet: uerum etiam  
facit, ut iudex irascatur, mitigetur, inuideat, stomachetur, fa-  
ueat,

Et non luce clarius constet, sapientiam cum eloquentia coniungi posse, non solum exemplo Platonis, Xenophontis, Aristotelis, Theophrasti, aliorumque veterum, qui non minorer uerborum, quam rerum curam habuerunt, uerum etiam non nullorum recentiorum, qui non ita sapientiam adamarunt, ut eloquentiam ullo modo sint aspernati. Sed dimittamus istos homines infantissimos, & ignauissimos, nostrumque. Aristotelem complectamur, qui & aureum orationis flumen fundere visus est, & aurea de elocutione præcepta in prima parte tradidit libri tertij, ut cognoscemus tum uerborum simplicium, tum coniunctorum naturam; atque in simplicibus quidem propria, & immutata, & domestica, & translata, & addita ad nomen, & diminutiuæ, & frigida, & imagines penderemus: in coniunctis uero elocutionem emendatam, amplificatam, decoram, numerosam, fusam, & uersam, urbanam, conuenientem exquireremus. Nam in altera, & ultima parte de ordine partium orationis, & de ordine rerum in partibus ipsius orationis, disertissime disputauit. Quo quidem nihil ex omnibus rebus melius inueniri posse Xenophon scripsit; cuiusque. quanta uis sit, vel ex re militari perspicie facile potest, ubi saepe paruæ, sed ordinatae copiae, magnas, sed confusas, incompositasque. vicerunt, & idcirco capitatis poena constituta erat in ordinis desertores. Sic in oratione saepe pauca, sed ordinata argumenta longe plus, quam multa, sed confusa, incompositaque. persuadent, nihilque pulchrius, aut prestatilius videtur, quam bene ordinata oratio, suo principio, sua propositione, narratione, partitione, sua confirmatione, & refutatione, sua peroratione optime instruta; de quibus singulis partibus singularia præcepta sunt nobis a philosopho litteris consignata. Discetis igitur ex libro primo trium rerum præstantissimarum artificiosam tractationem, consilij, laudis, & rationis iudicialis. Percipietis ex libro secundo tria præstantissima inuentionis articia, primum morum, alterum affectuum, tertium argumentorum. Intelligetis ex libro tertio duo alia itidem in oratore præstantissima, elocutionem, & dispositionem; ut præstantia rerum, quæ sunt nobis explicandæ, multum excitare animos uestros debeat. Accedit alterum argumentum, quod hæc

A2 condi-

rum ratio haberetur, nec curare, quibus modis animorum sensa exprimerentur, verborum ne luminibus, an sordibus orationis, hominis esse, ut inquit Cicero, intemperanter abutentis & ocio, & litteris, linguarumque eruditissimarum periiti fontes ipsos sapientiae apud præcipuos scriptores, non riuulos petebant. Quid faciunt contra nostri? Existimant sibi in uerbis non esse admodum elaborandum, quamuis uerba sint subsidia rerum, optimarumque linguarum ignoratione optimos scriptores non attingunt, sed barbaros quosdam interpres consequuntur. Loquor de illis, qui prauam consuetudinem retinent, Theologis, Medicis, Philosophis, Dialecticis, Iuris consultis, barbarie inquinatis, non de illis, qui etiam studiorum rationem sequuntur, & sapientiam cum eloquentia sibi esse coniungendam arbitrantur. Operæ premium uero est quam breuissime cognoscere, quid isti, qui in media barbaria se inuoluunt, pro sua ipsorum afferunt excusatione. Primum dicunt, sapientiae studiosis non esse necessaria uerborum elegantiam, & idcirco scripsisse Ciceronem, a Philosopho, si afferat eloquentiam, non esse aspernadam, si non habeat, non admodum flagitandam. Deinde ajunt, esse indecoram, quod grauis alicuius, & feueræ matronæ sapientia similis sit, quam quidem esse fucatam, miniatam, cerasifatam nequaquam deceat. Postremo contendunt, fieri non posse, ut eloquentia cum sapientia coniungatur, quod tanta sit rerum cognoscendarum difficultas, ut discendi ornamenta elocutionis, & colligendi pigmenta orationis tempus non habeatur. Quasi uero, si nulla elocutionis necessitas est, unius necessitatis in sermone habenda ratio sit, non etiam uenustatis, quam tamen una cum illa semper esse spectandam facile docemur necessitate, & pulchritudine totius mundi, nec cesitate, & pulchritudine omnium animalium, omniumque arborum in natura, necessitate, & pulchritudine artis nauigandi, artis ædificandi, artium reliquarum, quæ non sine aliqua uenustate hominum generi utilissimæ sunt. Quasi etiam, quoniam omnis fucus aspernandus est, ob id illuuiæ, & fitus, & sordes probadæ sint, ut liceat imitari Patroclé illū, qui nunquam in tota vita lauisse dicitur. Quasi denique ex istorum ignauorum imbecillitate aliorum ingenia metienda sint, & non

nondiscetis non ab homine aliquo infimi ordinis, atq. conditio-  
 nis, tenuissimas tantum Rheticæ quisquias persequen-  
 te, sed à præstantissimo omnium, qui fuerunt, qui sunt, qui  
 erunt, Philosopho, & Rhetore, Philosophorum, & Rhetorū  
 coryphæo Aristotele, nihil nisi graue pertractante. Sumerem  
 ex me quoq; tertium argumentum, si minus ex doctrina, &  
 ingenio, quo me parum valere confiteor, at saltem ex labo-  
 re, & diligentia, qua quidem adhibita, nemo est, qui effice-  
 re aliquid possit. Sed, cum id nonnullam habere inuidiam  
 videatur, dicam tantum id, quod uere affirmare queo, mul-  
 tas noctes à me fuisse vigilatas, ut ad horum librorum in tel-  
 ligentiam peruenirem; multumq; operæ positum in ipsis tū-  
 latine conuertendis, tum etiam per editos commenta-  
 rios explicandis, ut meo quodam iure uobis pol-  
 lici eri posse videar, quemadmodum pollis-  
 ceor, me effecturum profecto, vt si me  
 audiueritis, multos, magnosq;  
 fructus ex meis explica-  
 tionibus ca-  
 piatis.

¶



Cum



64

**C V M**  
**INCIPERET**  
**EXPLICARE**  
 Poeticam Aristotelis.

**ANTONII RICCOBONI**  
**Oratio.**



VM initio huius anni publicum expli-  
 candi munus susciperemus, pollic-  
 eebamur uobis, studiosissimi Aud.  
 nos in prioribus studiorum nostro-  
 rum curriculis Rheticam Arist. in  
 posterioribus Poeticam esse explana-  
 turos. Quamobrem, cum publice to-  
 tum librum primum Rheticæ, &  
 priuatim totum secundum, ac partem tertij explicassemus,  
 aggressuri quidem eramus statim post pascha ad Poeticam  
 explanandam: sed incommoda ualitudine impediti necesse  
 habuimus nobis ipsis prospicere, & de nostra salute solliciti  
 esse, ac tantisper latere, dum summo prorsus periculo emer-  
 geremus, & pristinam sanitatem recuperaremus, & quidem  
 usque ad hoc tempus, quo à Deo opt. max. vestris, quibus  
 semper consuluiimus, commodis incolumes conseruati, vt pau-

Aa 2 ciiores

ciores propter appropinquantes ferias aestatis, sic faciliores, & magis compendiarias (compendium enim uobis fecimus, atq. edidimus totius doctrinæ poeticæ Arist.) habituri sumus, cum maxima uerba admiratione de huius artis præstitia, ac prope incredibili utilitate, atq. oblectatione. Nolite enim existimare, quod quidam ad optima quæque uituperada parati dicitant, & in vulgus iactant, hanc artem esse ignobilem, inutilem, scurrilem, & hoc modo liberis, ac ingenuis animis non admodum conuenientem: sed vobiscum statuite, quod est tam uerum, quam quod uerissimum, eam esse omnium disciplinarum nobilissimam, utilissimam, cum dignitate iucundissimam, & nobilibus, ac generofis iuuenibus, quales uos estis, maxime congruentem. Id quod nos hodie no die præfationis loco, facile demostribamus; magis adeo, ut uobis gratificemur, ad quorum voluntatem nostra omnia libentissime referimus, quam ut iniustis hominum criminationibus satisfaciamus. Id enim nec præstare possumus, nec necesse habemus, nec admodum curamus, ut ad maleuorum hominum opinionem officium nostrum accommodemus. His igitur reiecit tamquam à Musarum choro prorsus alienis, nobiscum Poeticæ nobilitatem admiraremur, utilitatem suspiciamus, iucunditatem celebremus: cum præseruimus Poeticum studium magnorum semper Principum, & virorum auctoritate fuerit comprobatum, & nunc inter ceteros foueatur grauissima præsentia tua, Alexander Efestus, Princeps generosissime, cuius Serenissima Domus bonorum poetarum fuit perpetuo faurix, altrixq. benignissima, ut merito tu quoq; Serenissimorum maiorum vestigijs insistendo poetas omni benevolentia complectaris. Tuo igitur bene iuuante fauore, tuisq; felicibus auspicijs, ad propositum aggredientes de poetarum nobilitate tria in primis perpendemus, tum eius diuinitatem, tum utilitatem, tum maximam apud veteres auctoritatem. Ecquid enim excogitari, aut commemorari nobilius potest ea diuinitate, quam cum aliæ nobiles artes, tum in primis Poetica præsefert? Etenim, cum tres sint præcipua animorum nostrorum facultates, una, qua uiuimus, quæ in nobis pertinet etiam ad ungues, & capillos, ut in Mundo ad herbas, frutices, & arbores;

bores; altera, qua quidé aliquid appetimus, aut refugimus, quæ nobis communis est cum belluis; tertia, qua intelligimus, quæ est eadem in nobis, ac deus in Mundo: hæc teritia vis, quæ solet etiam Genius nuncupari, ad diuinam conditionem hominum animos effert; vt, quemadmodum in Mundo uarios deos antiquitas fixxit ex varijs diuinæ potestatis effectibus (Iupiter, n. in coelo, Iuno in aere, Neptunus in mari, Pluto in terris dominari sunt dicti) sic in humano genere Iurisconsulti, Philosophi, Medici, alij bonarum artium doctores, quod mira quædam, ac prope diuina efficiant, mirabiles, ac prope diuini existimentur. Inter ceteros autem, qui admirõne digni, & diuinitatis cuiusdam participes uisi sunt, præcipui semper fuerunt poetæ, quos diuino quodam spiritu afflari ueteres prædicarunt. Nam, vt mittamus diuinos prophetarum spiritus, quos uarijs carminibus uaticinatos esse constat, & diuinitus afflatas sibyllas, quas versibus vsas esse memoræ proditum est; in ipsis poetis deum esse, & illo agitante sacrum in eis impetum moueri doctissimi viri tradiderunt. Itaq. non solum nobilis poeta Ennius sanctum furore poetarum genus nuncupauit: sed etiam diuinus Plato diuinum nominauit, & non solum poetis, sed etiam poetarum interpretibus, & interpretum auditoribus quandam tribuit diuinitatem; ut Deus concitet poetas, poetæ interpretes suos afflét, interpretes auditores suos inspirent, & primus motus à Deo, alter à poeta, tertius ab interprete proficiscatur. Ac primi quidem furoris diuini apud diuinum philosophum exemplum est Tynnichus ille Chalcidensis, qui cum antea miuime probaretur, tandem Musarum spiritum accepit, atq. ita probatus est, ut carmen, quod ipse cecinuit in Apollinem, nemo cantare postea recusauerit. Alterius diuini furoris est Ion, qui, cum reliquos poetas minime intelligeret, Homeri poemam diuinitus interpretabatur. Tertijs furoris diuini exemplum sunt adolescentes, qui sic affici ab interpretibus consueuerunt, ut eodem ipsis quoq; agitari spiritu videantur. O admirabilem poetarum nobilitatem, qui & ipsi diuinitate nobilitantur, & interpretes suos diuinitate nobilitant & interpretum suorum auditores nobilitatis cuiusdam diuinæ participes reddunt; vt merito inter nos, nobiliss.

uissimi philosophi sua decreta illorum versibus confirmare non dubitauerint: & sapientissimus Socrates se Homeri discipulum appellare non erubuerit: & Philosophorum coryphæus Plato nobilibus Homeri, aliorumq. poetarum uersibus ad suum nobilitandæ philosophiam usus fuerit: & idē fecerit maximus Arist. idem fecerint alij philosophi præclarissimi; qui, si philosophia nobilis est, ut certe est, multo profecto nobiliorem Poeticam esse, quodammodo significarunt, cum illam huius auctoritate confirmarunt. Dixi de poetarum nobilitate, id est, de diuinitate, de antiquitate, de auctoritate. Nunc uenio ad utilitatem, de qua etiam tria in primis sunt consideranda, quod poeta humanam societatem conciliauerint: quod omni doctrinarum genus complexi sint: quod omnem hominum conditionem erudierint. Primo loco igitur utilitatem poetarum nemo negare audeat, qui intelligat eorum eloquentia factum esse, ut homines in terris dispersi à vita fera ad humanam, ab agresti ad ciuilem se conuerterint: uoce blanda, & fidibus canoris deliniti ex agris, locisq. sylvestribus unum in locum incole di cauſa se contulerint: vitam inter se consociatam certo iure, certisq. legibus deuinixerint: virtutem, decus, honestatem amplexi sint. Id quod tametsi M. Tullius oratorum tribuit eloquentiæ: id tamen facit magis, ut ex poetico fonte, vnde omnes eloquentiæ riui, & flumina dimanarunt, ad suā cohonestandam artem argumentum hauriat, quam quod ita fuisse probare possit. Prius enim quam oratores essent, & soluta oratio scriberetur, fuerunt poetæ, fuerunt uersus, qui sylvestres homines cœdibus, ac uictu foedo deterruerūt; primaq. culta, & ornata oratio, quæ homines exferis, & immanibus mites reddidit, & mansuetos, fuit versibus comprehensa, cui beneficium humanæ societatis acceptum ferimus, quamq. postea soluta oratorum oratio est consecuta. Nam descriptis iam ciuitatibus, positis legibus, iudicijs constitutis, cum sèpe de iusto, & æquo controversia incideret, & lex cum æquitate, ius cum iustitia, sèpe contenderet, relictis uersibus oratores ui solutæ orationis hominum inter se discentium animos ad bonum, & æquum traduxerunt. Itaque poetæ oratores antecesserūt, & istituto ciuitatis iure cauſa fuerunt.

biliss. Aud. gaudendum esse sine dubio videatur, quod & cuia &is nobis diuina materia sit pertractanda, & mihi ex eius interpretatione diuinitas quædam haurienda, & uobis eam per dissentibus nonnihil diuinitatis adipiscendum. Atq. hæc est prima nobilitas poetarum, quod honore diuino dignantur. Sequitur altera, quæ ab antiquitate proficitur. Constat enim inter omnes, Poeticam omnium disciplinarum primâ fuisse; & primum litteratorum hominum genus poetas habitos esse, repetita usq; à Mose apud Aegyptios, & à Lino, ab Orpheo, à Musæo apud Græcos rei poeticæ origine. Si quidem, ut scriptum reliquit Iosephus in antiquitatib<sup>o</sup> suis, Moses Hebræorum Imperator, disciplina Aegyptiaca instrutus, is, qui continuam seriem annorum bis mille quadrigenitorum nonaginta trium à Mundi principio usq; ad sua tempora descripsit, carmen Heroicum inuenisse tunc dicitur, cum Hebraeos ex Aegypto in Patriam reduxit, & mare rubrum diuinitus cedentibus aquis transgressus est; quo carmine præpotentem Deum laudauit, & pro tali, tantoq. beneficio ei gratias egit. Post Mosem vero, ut testatur Di. Hieronymus, Iob, uir ille patientissimus poeta fuit: & Dauid, Rex sanctissimus prælijs, ac periculis expeditus, cum maxima iam pace frueretur, carmina in Deum, hymno sq; uario modo composuit: & Salomon, sapientia clarissimus laude poetica præstítit: & Esaias, uaticinandi peritisssimus uaticinationes suas uersibus complexus est. Apud Græcos autem, apud quos maxime florere poesis uisa est, inter homines eruditos primi nominati sunt Linus, Orpheus, & Musæus; quorum primus lyricos modos inuenit, & post Apollinem, & Phæmonoen Apollinis sacerdotem carmen Heroicum protulit: alter homines à uita fera, & inculta ad mitiorem, & manu suetiorem uersibus suis traduxit, ut ob id lenire tigres, rabi dosq. leones dictus sit: tertius Amores Erus, & Leandri uersibus hexametricis expressit. Itaq. nec Philosophos, nec Theologos, nec Astrologos, nec ullam aliam disciplinam ante Poeticam fuisse compertum est: & ante Cadmum, ac Pherecudem, qui primi solutam orationem conscriperunt, factos esse uersus non dubitatur. Accedit ad diuinitatem, & antiquitatem poetarum summa apud ueteres auctoritas; ut gra  
uissimi

fuerunt, ut ars oratoria, & aliæ disciplinæ ortæ sint. O beneficium singulare Poeticæ facultatis, quæ quidem fuit principium, & origo ceterarum disciplinarum, ut, quidquid ex omni doctrinarum genere percipitur utilitatis, id à fonte Poetico sane uberrimo manet, vnde Oratores, unde Philosofi, vnde Theologi, vnde Astrologi, vnde Iurisconsulti, vnde Medici, vnde omnes bonæ artes, & facultates copiosissime irrigantur. Secùdo loco cum omne litterarum genus à poetis mirabiliter illustretur, & vniuersum disciplinarum orbē Poetica complectatur, id egregie à ueteribus fuisse significatum videtur, relata eius origine in Calliope Musam, quæ communem omnium Musarum uocem repræsentat; ut, quæ admodum Calliope significat concentum, & harmoniam communem ex omnium Musarum vocibus proficiscentem: sic Poetica, quæ à Calliope inuenta esse dicitur, omnem scientiam comprehendat. Musas enim eloquentiæ præfides deas multarum artium inuentrices fuisse, ueteres tradiderunt, ut Clionem Historiæ, Thaliam Agriculturæ, Vraniam Astrologiæ, alias aliarum, Calliope autem Poeticæ, id est, eius amplissimæ facultatis, quam qui negligat, is non disciplinam aliquam despiceret, uerum vniuersum doctrinarum genus contemnere videatur. Ac Poetica quidem tam late patet, ut ne amplitudini quidem cedat philosophiæ. Res enim omnes pertractat, & quidem facilius, & ad humanam intelligentiam accommodatus, quam philosophia: naturæ primordia expavit: rerum cœlestium causas explicat: perturbationes, quæ sunt in aere, explanat: naturam animorum docet: res expetendas, & fugiendas aperit: Rerum publicarum rationē declarat: omnia sapientissime persequitur. Si uero cum historia conferatur, eo præstantior, atque utilior comparietur, quod magis philosophica, ut ait Aristoteles, apparuerit; quippe quæ magis vniuersalia, quam singularia complectatur, & virtutes, non quales in hominibus fuerint, sed quales esse debuerint, exprimat, ac eximiam quandam earum speciem, quæ idea nominatur, intuens, perfectionemq. exquirens, nō in ueris prorsus singulorum hominum actionibus exponendis, sed in fictis ad perfectam naturam conformandis uestitur. Tertio loco, si ipsius Poeticæ species spectentur, de ipsarum

97

farum utilitate nequidquam erit dubitandum, vnde omnis hominum conditio potest facilime erudiri. Age enim, alius natus est celebri patria, illustri familia, diutiis non mediocribus, corpore bene compacto, animo præsenti, ac talis etiam, quales uos Principes, Alexander illustrissime, esse solent; non ne huiusmodi persona per Epopœiam institui poterit, in Homeri Iliadem, magnum miraculum humani ingenii prope intentis oculis intuens, & Achillem, in quo quidem omnia præclara expressa sunt, sibi ad imitandum propones, atque ab eo discens, esse potius millies moriendum, quam quidquam indignum committendum, aut ulla ex parte officium deserendum? Alius non est tam nobilis, nihilq. aut parum admodum in bonis habet præter ingenium; non ne is eiusdem Homeri poemate Epico, cui Odysea nomen est, poterit ad virtutem conformari, ut Ulysses imitetur, natum Ithacæ loco potius ignobili, quam nobili, parentibus non admodum claris, opibus, & corporis robore uix mediocritatem attingentem, difficultates tamen omnes uirtute rescidenter, tantumque sapientia pollentem, ut & apud suos rerum gestarum gloria ceteris omnibus, quamvis nobilissimis, antecelleret, & apud alias gentes, & nationes præclarissima nominis fama eniteret? Tragœdiam uero, ut testatum reliquit Plutarchus, definiebat Gorgias esse dolum, quo illi sapientiores fierent, qui caperentur, quam qui eum declinarent; quo sane poemate, uos Principes, Alexander excellentissime, potestis optime admoneri, nemini esse nimium credendum, ut Polynices creditit Eteocli: blandientes potius, quam irascentes uitandos, cum ab illis saepius homines opprimantur, ut à fratre in conuiuio oppressus est Thyestes, à coniuge in cubiculo Agamemnon: calumniatoribus aures non adhibendas, ut Phœdræ adhibuit Theseus: malis artibus minime nitendum, ut Creon, Lycus, Aegisthus, & alij Pelopidæ omnes, atq. Labdacidæ nixi sunt, & idcirco in maxima mala inciderunt. Quid dicam de Comœdia, quam quotidiana uitæ expressam imaginem esse, ueteres existimarent? Nonnè Poetæ comici patrem familias docent, quomodo uxorem moribus suis assuefaciat; quomodo liberos in disciplina continet: quomodo seruos à fraudibus, &

Bb morum

morum impuritate deterreat: quomodo lenonum, mere-  
tricum, parasitorum insidias fugiat, & à suis propulsat: quo-  
modo æqualium amicitias colat, & posteritati prospiciat:  
quomodo parsimoniam seruet; sub persona Strepsiadæ, Phil-  
tonis, Menedemi, Chremetis, aliorum multorum, quorum  
nomina egregie in fabulis ficta sunt? Sed dies me deficiat, si  
omnes Poeticæ species quām utiles, quamq; fructuosæ sint,  
recensere uelim. Si uero iucunditatem quāramus, tria quo-  
que dicimus, eam esse huius artis propriam: eam etiam Dijs  
immortalibus placuisse: eam principibus uiris grata fuisse.  
Primum enim iucunditas Poeticæ propria ita miscet  
utile dulci, ut ad communem intelligentiam, & hominum  
multitudinem sit prorsus accommodata. Neque enim po-  
tuerit agrestes homines ad uitæ cultum traducere, si nu-  
dis præceptis, quibus, ut Isocrates confitetur, multitudo  
minime capit, usq; fuisse: neque posset mores hominum  
cuiusque generis, æratis, ordinis utiliter demonstrare, ni-  
si iucundas fabulas ad mentes deliniendas, &, quid bonum,  
quid malum sit, ostendendum, adhiberet. Ac ea quidem  
fuit optima ratio poetarum, ut sub inuolucris, & integumen-  
tis sane iucundissimis præcepta ad uitam humanam confor-  
mandam utilissima complectentur. Quod præclarum in-  
stitutum coniungendæ iucunditatis cum utilitate alia quo-  
quæ artes ita retinuerunt, ut, tametsi ad utilitatem potis-  
simum referuntur, tamen quò maiorem afferre possunt iucunditatem, eo semper commendatores habitaæ sint. Nam  
& in operibus suis artes operosæ non minus uoluptatem,  
& ornamentum, quām utilitatem spectant: & ingenuæ di-  
sciplinæ, quibus nihil utilius, nihil magis necessarium esse  
potest, oblectationem quandam sequuntur. Nulla uero  
magis oblectat, quām facultas Poetica, quæ obscuræ qui-  
dem subit hominum animos, ut eos erudit, & per occul-  
tas quasdam uias ad bonas actiones perducat; sed huiusmo-  
di obscuritas utiliter delectando, & iuuando iucunde omni-  
bus prorsus placet. Neque enim comparanda est cum phi-  
losophica obscuritate, quæ nonnullis parum perspicacibus  
~~aliis~~ antis per molesta esse solet; qualis fuit obscuritas Her-  
racius, qualis est Platonis, qualis Aristotelis, qualis alio-  
rum

rum omnium philosophorum: at obscuritas poetarum ita  
fabularum splendore illustratur, ut omnibus afferat iucun-  
ditatem. Nihil uero inueniri iucundius potest, quām poe-  
tica oratio sonantibus uerbis conclusa, & ad aurium delecta-  
tionem optime cadens, quæ quidem efficit artificio suo, ut  
res quamuis fœdæ, quamuis atrocæ, quamuis immanes, à  
quibus nōster prorsus abhorret animus, nos tamēn oble-  
ctent, & Scylla, Charybdis, Antiphates, Lestrigones, Cyclo-  
pes, Polyphemi, & alia huiusmodi nos afficiant voluptate.  
Præterea uero quām digna sit iucunditas poetarum, uel  
ex eo in primis apparet, quod non solum principibus uiris,  
uerum etiam Dijs immortalibus grata fuisse cōmemoratur.  
Etenim memoriæ proditum est, charum fuisse Sophoclem  
Dionysio Deo, qui post eius mortem, cum Lacedæmonii  
Atticam terram inuassissent, uisus est illorum duci Lysandro  
assistere, ipsum Sophoclem, eiusq; poemam secum habens, ac  
iubens, ut omnibus honoribus, qui defunctis haberi con-  
sueissent, nouam coli syrenem pateretur: charum fuisse  
Aeschylum eidem Dionysio, qui quidem ei mandasse dici-  
tur, ut Tragedias conscriberet: charum fuisse Pindarum  
Apollini, qui vna cum eo uictimas, honoresq; suos commu-  
nicasse fertur, ita ut eius sacerdos immolatis hostiis ad sacrā  
mensam alta, & clara uoce ipsum Pindarum uocaret: charū  
fuisse quoque Pindarum Pani, qui carmen, quod in se ab  
eo scriptum fuerat, in medio saltantium choro per mon-  
tes summa cum lætitia cantasse narratur. Postremo, ut fa-  
bulas mittamus, quæ nihilominus summam poetarum ex-  
cellentiam declarant, non ne ipsæ integræ ciuitates, & ipsi  
magni Reges magnificare poetas uisi sunt? Non ne Lace-  
dæmonii, cum de incendendis Thebis cogitarent, edicto pu-  
blico cauerunt, ne Pindari domus offenderetur? Non ne  
Alexander Lacedæmonios imitatus, reliquis Thebarum ædi-  
ficiis incensis solam Pindari domum incolumem conserua-  
uit? Galathæ uero tanta poetas reuerentia, atque obseruan-  
tia prosecuti sunt, ut cum instructa utrinque acie prælum  
inituri essent, alicuius poetæ uel amici, uel nimici interuen-  
tu à pugna prorsus se abstinerent. Quid? quod Polycrates  
Samiorum Tyrannus Anacreontem magno in honore ha-

buit: Hipparchus Pisistrati filius, is, qui primus Athenas Homeri poemata tulit, & decantari ius sit, eundem Anacreonem naui quinquaginta remorum honorauit: Archelaus Macedonum Rex Euripidem ualde amauit: Hieron Syracusanus Aeschylum, & Simonidem magna benevolentia complexus est: Antigonus Alexandri in Phrygia successor Aratum summe dilexit: alii alios, quos temporum ratio coniunxit, maximopere uenerati sunt? An uero quenquam uestrum præterit, Magnum Alexandrum ita Homeri studiosum fuisse, ut nec in bello, nec in conuiuio, nec in somno eius utraque poesi carere potuerit, seq. Thersitem Homeri, quam Achilem Cherili esse malle affirmauerit, & Homeri poema ta sola digna censuerit, quæ Darii scrinio præclarissimorum gemmarum, & auri preciosissimi, ac suauissimorum odorū plenissimo affluarentur? Taceo P. Scipionem Africanum, eum, qui omnium Regum gloriam superauit, non solum Ennio poeta familiarissime vsum esse, uerum etiam se defunctum eius ornari marmorea statua in sepulchro uoluisse. Nec pluribus cōmemoro, quam multos poetas Augustus, quam multos Mecænas, quam multos alij principes uiri omni beneficentia fouerint, omniq. beneuolētia complexi sint. in quibus serenissimi maiores tui, Alexander præstantissime, singularia exempla dederunt omnis humanitatis, & liberalitatis in Areostos, in Tassos, in Giraldos, in Pineas, in Guatinos, in alias quamplurimos, quos longum esset enumerare. Notissimum ergo est hanc fuisse magnorum Principum gloriam, ut poetarum ingenis, ac doctrina delectati eos in primis admirarentur, & colerent. Quod si Plato sapientissimus philosophus, ut à nōnullis obiicitur, e sua eduxisse Rep. poetas fertur, nō simpliciter eum intellexisse omnes poetas credendum est, sed eos tantum, qui nerois uirtutis eliderent, & bonis moribus nocerent, ac illi optimo Reip. statui, quem ipse exquirebat, aduersarentur, Tyrannidemq. tamquam re diuinam laudarent, & in cœlum efferrent, quod fecisse Euripidem ipse in libro octauo de Rep. testatus est. Eiecit igitur poetas bonorum morum corruptores, non meo quidē iudicio eos, qui ad' bonum ciuitatis se accommodarent, quos sapientiae patres appellauit: quos deorum esse interpres a firmauit:

99

firmauit: quorum poemata non hominum esse inuenta, sed cœlestia munera prædicauit. Cum igitur Poeticum studiū sit nobilissimum, utilissimum, & iucundissima præditū magnificentia; in hoc ipsum, studiosissimi Aud. omni animorum, & corporum contentione, omniq. conatu diligenter i-cumbite: cumq. artem Poeticam Aristotelis à me latine cōuersam, à me copiosa Paraphrasi enarratam, per com-pendium à me nuper euulgatum strictissime, & paucissimis explicationibus declaraturus sim; urgete constanter propositum, ut, quæ præclarus philosophus de hac præclara arte præclare tradiderit, quam breuisime, & quam breuissime intelligatis.



CVM



C V M  
INCIPERET  
EXPLICARE  
Historiam Flori de rebus gestis  
Romanorum.

ANTONII RICCOBONI

Oratio.



VM earum artium, quæ ad Humanitatem pertinent, studiū, humaniss. Aud. in tres præcipuas partes sit distributum, quarum alteram oratores, alteram poetæ, tertiam historici sibi in primis vendicant; cumq; duæ superiores à me superioribus proximis annis explicatæ sint: tertiam hoc anno ad eas esse adiungendam, & cum oratoria facultate, cuius historicæ facultas propago esse quædā, & particula, ac similitudo existimatur, coniungendam sum arbitratus. Quod negocium cum quidam, qui vniuersam industriam nostram continuo fastidiunt, & omnia potius alia, quam id, quo de agimus, approbant, esse ita facile dictinent, ut publica non egeat explicatione; ego, qui satisfieri huiusmodi obrectatoribus,

ad

106

ad optima quæq; nullo discrimine vituperanda paratis nec posse video, nec necesse admodum esse intelligo, non ad aliorum opinionem, neq; ad meam ambitionem, sed ad uestram omnia referens utilitatem, sat habebo uobis commemorare, non id agi tantummodo in explicazione historiarum, ut rēs gestæ narrarentur ( nihil enim facilius ) sed ut tota antiquitas ante oculos proponatur, quæ ad religionem, & Deorum cultum, ac ceremonias cognoscendas, ad magistratum potestatem, & ius ciuile, ac fori consuetudinem omnem intellendam, ad ciuitatum, & prouinciarum administrandarum rationem percipiendam, ad uitam humanā pulcherrimis, atq; utilissimis exemplis conformandam spectat. Orta enim est historia, ut languentes, & deiecti homines ad uirtutem extarentur. Nam, cum multi heroes tam egregie, & admirabiliter se gesissent, ut digni habiti sint, qui & viui alios regerent, & mortui diuinis honoribus ornarentur, obliuiscientibus posteris, & propter huiusmodi obliuionem reformidantibus tot labores, & vigilias ab illis laudabiliter susceptas, illorum res gestæ sunt litteris consignatae, in quas tamquam in bene, beateq; degendæ vitæ clarissima exemplaria, omnes mortales intueri, ac totius vitæ cursum ad id, quod honestū est, dirigere non difficuler possent. Neq; uero solum hominum virtute præstantium facta litterarum monumentis mā data sunt: verum etiam sceleratorum prodiciones, seditiones, coniurationes, in honestæ actiones, ut illa posteri imitarentur, has uitarent. Itaq; optimi historici contenti non fuerūt rerum narrationes; sed ingenium in eo exercuerunt, ut & hominum virtutes, & uitia exprimentes, quid sequendum, quid uefugiendum esset, nobis ostenderent; ac tempora omnia ita distinxerunt, ut, quid quoq; tempore gestum sit, scientia, & memoria cōprehendi queat. Cuius profecto notitiae qui expers videtur, is nihil plane scire, nihil ex ijs, quæ ad uitæ usum, & humanitatis cultū attinent, intelligere existimatur. Quamobrem Plato in Timæo, ubi sermones refert Aegyptij cuiusdam sacerdotis cum Solone habitos, de omni antiquitate, illum in huiusmodi uerba prorumpentem inducit; O Solon, Solon, uos Græci semper pueri estis, nec quisquam est ē Græcia senex; propterea quodd iuuenis semper uobis est animus,

animus, in quo nulla ineſt ex uetus tatis commemoratione prisca opinio, nulla cana scientia. Cuius loci sententiam eleganter expreſſit Cicero, non ſolum in libro de Vniuersitate, qui eſt Timæus Platoniſ latine conuersus, quamuis iniuria temporum mutilus, & decurtatus, uerum etiam in oratore ad Brutum, ubi ſcriptum reliquit, Nescire, quid antea quam natus ſis, acciderit, nihil significare aliud, niſi ſemper puerum eſſe. Qui igitur nulla uetus tatis cognitione, nulla antiquorū temporum notitia, nulla quaſi ſenili, & cana scientia animos imbutos habent, ſemper pueri appellantur. Egregie. Ut n. pueri neq; hominem ab homine ( nam omnes homines appellare patres confueuerunt ) neq; rem à re diſtinguunt, nihiſq; quod procul ſit, cogitatione complectuntur, neq; præterita respicere, neq; futura præuidere queunt; ſic, qui hiftoriā non nouerunt, & antiquitatis memoriam nullam habent, longamq; annorum, & rerum geſtarum ſeriem mini me animo comprehendērunt, plane rudes, plane habetes, plane pueri; immo uero plane infantes, nihil recenſere poſſunt in conuultione maximarum rerum, nihilq; habent in promptu, ex quo proſpicere poſſe futuros euentus uideantur. Ut autem rerum geſtarum, & temporum præteriorum inſcijs, atq; imperiti ſemper pueri dicuntur: ſic qui antiquitatem habent ſcientia, & memoria comprehenſam, uocandi ſunt ſemper ſenes, immo uero multipliciter ſenes, qui non unius ætatis, ſed multorum ſeculorum res geſtas nouerunt; ut, ſi ſenum prudentia laudatur propter multorum annorum notitiam, & quidem eorum annorum, qui uitæ conueniunt humanae, raroq; centesimum numerum prætereunt, ac plerumq; ad eum non perueniunt, multo magis laudandi ſint illi, qui omnium prope temporum cognitione maximam ſibi prudentiam compararunt, & sermonis grauitate, atq; auctoritate, quam affert antiquitas, exemplorumq; prolatio, eam naſti ſunt dignitatem, ut tamquam ceteris ſeniores, & prudentiores apud omnes obſeruentur, & ſuſpiciantur. Hiftoria enim omnem ætatem à Mundi primordijs uisque ad hæc tempora annis quinquies mille quingentis quinquaginta duobus complectitur, cum à primo omnium parente uſq; ad ſeruato rem noſtrum ter mille nongenti ſexaginta duo anni

ni interceſſiſſe dicuntur. Etenim non libet physicos eos ſequi, qui Mundum neq; genitum, neq; interitorum eſſe prodiderunt, cum intelligere non potuerint, vllam tantam eſſe uim, quaſe hanc rerum vniuersitatem, & Mundi fabricam eſſe, tam admirandam potuerit, ac negauerint motus principium fuſſe vllum, quod motor ſemper fuerit, contendrentq; ne ullum quidem finem fore, quod motor ſemper futurus ſit, neq; enim motorem ſine motu eſſe poſſe. Quibus rationibus ſatis in Theologia conuutatis omnem veritatem peruertere conati ſunt. Nec placet ex doctriña Aegyptiaca rerum repetere principium ab annis illis magnis, quos ſingulos aiunt quadraginta nouem annorum millia continere, ac duos iam præteriſſe, hunc uero, qui nunc agitur, tertium eſſe; quo completo, cum Mundus bis defecerit, & bis renatus ſit, prædictum eſt, ex eadem materia Mundum amplius renaſci non oportere, nouamq; materiam, & nouum Mundū à præpotenti Deo conditum iri. Sed à ſacris litteris non diſcedimus, ex quibus luce clarius patet, à primo omnium parente uſq; ad ſeruato rem noſtrum annos ter mille nongentios ſexaginta duos interceſſiſſe, qui ſi cū annis Xpi 1590. coniungantur, numerum, ut modo dicebam, annorū quinquies mille quingentorum quinquaginta duorū explere comperiuntur. Per quos omnis hiftoria adhuc mirabiliter uagata eſt, vt tempora diſtinguantur, primum ab Adamo ad Noemū, cum ſua rebus omnibus nomina ex considerata cuiq; rei naatura imposta ſunt, & propter auſtam hominum malitiam, atq; improbitatē vniuersalis eluuiio facta eſt: deinde à Noemo ad Abrahamum, cum hominibus Nembroti ſuauis in altissima turri exædificanda infantibus linguarum varietatem, ac diſſimilitudinem immisit Deus, vt ſe inuicem non intelligentes ab incepto iam opere ceſſarent, & ipſi Abrahamo dedit de ſemine sancto promiſſionem inſtituta circumciſione: inde ab Abrahamo ad Moſem, cum diuersi per orbem terrarum principatus exorti ſunt, quorum celeberrimus fuit dominatus Affyriorum sub Nino, & Semiramide, ac lex à Deo Moſi data eſt: poſtea à Moſe ad Salomonem, quo temporū ſpatio ſcribunt fuſſe Deuacionis, & Pyrrhæ eluionem, Bacchum in India triumphasse, Argonautarum

Cc nauis

nauigationem euenisce, Herculem varios labores suscepisse, bellum Thebanum gestum esse, bellum quoque Troianum confectum esse, quod circiter annos Mundi bis mille septingentos octoginta duos fuisse dicitur: præterea à Salomone ad excidium Hierosolymæ, cum Sardanapalus à Nino trigesimus, & ultimus Assyriorum Rex suum evertit imperium ab Arbace Medorum Rege occupatum: postea ab excidio Hierosolymæ ad Cyrus Persarum Regem, cum regnum Assyriorum usq. ad Astyagem Regem à Medis retentū ad Persas translatum est: deinceps à Cyro ad Magnum Alexandrū, cum Græcorum floruit Monarchia: tum à Magno Alexander ad Augustum Imperatorem, cum Romanorum Monarchia est constituta. Itaq; vniuersa historia ad quattuor redigi solet Monarchias, quibus præpotens Deus totius fere terrarum orbis permisit imperium, ut eis alij Reges minus potentes subiecti plurimi essent, & tributum penderent; quasq. Daniel diuinus uates prædixisse existimatur; vnam Assyriorum: alteram Persarum: tertiam Græcorum: quartam Romanorum. Ac imperium quidem Assyriorum in superiore Asia stetisse florentissimum, Herodotus scriptum reliquit; à quibus missum fuisse auxilium Troianis, duce Memnone, Thironi F. vetera monumenta testantur. Hoc imperiū translatum postea est ad Medos, apud quos idem Herodotus scripsit diu nullum fuisse Regem, qui omnibus imperaret, sed singulas ciuitates populari imperio vras esse, tandem uero Regibus introducatis regnatum esse usq. ad Astyagem, quem Cyrus, Persæq. deuicerunt; vnde dominatum Persarum florere plurimum cœpit, à Cyro, & Cambyses præclaris rebus gestis in primis illustratus. Secutus est Alexander Magnus, qui Persas subegit, & omne Græcorum imperium occupavit; cuius mortui Monarchia in multa veluti membra secta est, occupantibus eius Ducibus prouincias illas, quas ipsi regabant. Atq; hinc Reges plurimi, Macedonia, Asia, Syria, Aegypti, originem habuerunt. Cumq. Macedonum nullus post mortem Alexandri dominari inter Parthos dignum iudicasset, qui fuerunt Scythæ exules, cum Parthus. Scytharum lingua exulem significet, ac inter populos Orientis temporibus Assyriorum, Medorum, Persarum obscurissimi uixerunt,

runt, solumq. in Oriente Romanis minime cesserunt; eorum imperium socio cuidam peregrino, nomine Satagenori, concessum est; cuius successores regnarunt usq; ad Artabanum, qui ab Artaxerxe Persa regno priuatus est. Quamobrem Persæ Cyro, & Cambyses Regibus, ut modo dicebam, celeberrimi, à Macedonibus sub Alexandro Magno Orientis imperio deieci, eius postea successoribus, deinde Parthis subiecti, tandem M. Aurelio Alexandro Romanis imperante Parthos deuicerunt, nomenq; Parthicum deleuerunt, ut nō amplius Parthorum, sed persarum Regnum nominatum sit, usq; ad Ormisdam Regem, quem Sarraceni regno priuarūt, anno Christi sexcentesimo trigesimo nono, Mahometo regnante, ita ut illud regnum appellari Sarracenorum cœptū sit, quod nunc tenent Psophiani Turcarum Regno finitimum. Nam circiter annos Christi mille, & septuaginta Sarraceni cum Turcis bellum gerentes ad id conditionis deuenerunt, ut Turcæ Mahometi religionem sequerentur, ac diuisio inter ipsos imperio in Oriente dominarentur. Nunc vicio ad Romanos, qui ob seditiones, & bella intestina ad Monarchiam redacti sunt sub Augusto constitutam, in quem lege Regia omne suum ius populus Rom. dicitur contulisse. Nam ducentos quadraginta quattuor annos tenuerunt Roman Reges. Quingentos circiter annos Resp. stetit usq. ad Cæsarem Augustum. Consecuti sunt alij Imperatores, vario rerum euentu, usq; ad Constantinum, qui primus in Oriente Imperator fuit, altero Imperatore in Occidente relieto, ac Imperio inter duos Imperatores diuiso; quiq. mirabiliter Christianæ fuit religione, vnde dominari Romani Pontifices cœperunt. Imperium autem à Constantino ordinatum valde diminutum est tum per Getas, à recentioribus Goths nominatos, qui urbem Romam anno Christi quadragesimo undecimo ceperunt, incenderunt, populati sunt, & Rauennæ Regni sedem habuerunt, Regnumq. annos septuaginta tenuerunt. Tum per Hunnos, quorum immanissimus Rex Atila Romano Imperio sub Valentianio tertio ingentes intulit calamitates, vrbes excidit, prouincias deuastauit, omnia igne, ferroq. consumpsit, donec exoratus pre cibus Leonis Pontificis Max. à Valentianio ad pacem im-

Cc 2 petran-

quam re ipsa, ornatiora. At quæ de Romanis narrantur, nō solum magna, sed etiam uera, excellentia sua omnem superare ingenij excellentiam uidentur. Si utilitatem sequimur, quantum Resp. Rom. ceteris Rebusp. armorum gloria, atq. imperij amplitudine antecelluit; tantum ijsdem omni generi exemplorum ad uitam humanam conformandam utilissimorum antecellere existimatur. Hæc, si prima præcipue ipsius tempora considerentur, non ab hominibus, sed ab heroibus prope quibusdam fuisse administrata comperietur. Hæc iustitia, & moderationis amorem, hæc paupertatis, ac parsimoniaz cultum, hæc luxuriaz, atq. anaritiaz odium, hæc diuinitiarum, atq. opulentiaz contemptum, cum maxima sua laude, ac prope incredibili omnium cum admiratione professa est. Hæc exempla uirtutis vberrima subministrat, tum fortitudinis ad mortem pro Rep. oppetendam, tum prudenter ad perniciem præcaudam, tum industriae ad uim pro pulsandam, tum ceterarum omnium uirtutum ad honeste, laudabiliterq. uiuendum. Si delectationem, & aliquam in legendio uoluptatem querimus, an quidquam iucundius existimamus, quam si legamus, à tam paruis initijs tantam Rempub. extitisse, tot conuersiones eius fuisse, tot bella, tot clades, toties domi, forisq; vnam terrarum omnium dominiam afflictam esse, toties recreatam? Sed dignitatem, si libet, obliuiscamur: vtilitatem paruifaciamus: delectationem non attendamus. An uero etiam parum curabimus pietatis laudem, ut vetustam eius benignissimi, atq; humanissimi populi memoriam libenter non excitemus, & antiqua tēpora gratis animis non excolamus, qui ius ciuitatis suæ tot populi dedit; qui linguam suam vniuerso terrarum orbi impertivit; qui leges, mores, iura sua concessit; qui industriam, qui fortitudinem, qui cetera, quæ ipsi in cœlum quasi quidam gloriæ gradus fuerunt, communicavit? Quamobrem æquum est, vt vetera vrbis Romæ tempora, & antiqua ornamenta animo repetentes ad similes actiones nostram operam, nostraq. studia conferamus: vt in hoc præclaro communis industriae curriculo Romanam historiam, ac prisca Romani rum facta retractemus: vt leges, mores, iura populi pace, belloq. præstantissimi celebremus: vt quam antea curauit

de

petrandam missi, relicta Italia in Pannoniam reuersus est; quibus temporibus Aquileia Atilæ furore capta, & diruta, ac vniuersa Venetia deuastata Venetiæ condi cœperunt. Tum per Vandulos, qui vniuersam Africam Romano imperio eripuerunt, Piraticamq. in mari exercentes, Siciliam, Sardiniam, Corsicam, Italianam ipsam, latrocinijs, ac prædis uexarunt, vrbeq. Romanam captam omnibus ornamentis spoliarunt, atq; Africam annos plus minus septuaginta septem obtinuerunt usq. ad Iustinianum, qui non solum per Bellisarium Africam ex manibus Vandalarum extorsit, verum etiam per Narsetem post annum septuagesimum Gothos superauit, & vel finibus Italiaz cedere, vel suo demum imperio obtemperare coegit. Tum per Longobardos, quos Narses à Iustino, & Sophia vxore, gubernatione Italiaz priuatus ex Pannonia Duce Alboino in Italianam inuitauit, quiq. in Italia annos ducentos, & septem regnarunt, donec Pontificatum bello virgentes, à Pipino, & Carolo Magno Francorum Regibus uicti sunt anno Christi octingentesimo primo. Itaq. occidentis imperium ad Francos consentiente Romano Pontifice, & permittente Orientis Imperatore translatum est. Atq. inde ad Germanos peruenit, qui eius ipsius adhuc cōpotes sunt. Orientis uero imperium, post multos, uariosq. casus concidit, Constantinopoli Vrbe Augusta anno Christi millesimo quadragintesimo quinquagesimo tertio à Turcis expugnata, & Constantino xv. Paleologo Imperatore occiso, ac summa rerum in Mahomethi Turcarum Regis potestate redacta. Atq. hæc est prope facies eorum omnium, quæ post orbem conditum euenerunt. Cuius uniuersalis historiaz aliquam partem hoc anno cum dicendi studio coniuncturi, quam historiam, & quarum gentium feligemus? Nullam profectò aliam, nisi Romanam, & Romanorum. Quod ut faciamus, tria. potissimum nos monent, rei dignitas, vtilitas, & iucunditas. Etenim si dignitatem spectamus, nullum imperium, nullam libertatem, nullam populi, uel Regis amplitudinem cum populi Rom. imperio, libertate, amplitudine conferemus. Magna quidem de Assyrijs, magna de Medis, & Persis, magna de Græcis proferuntur: sed pleraq. ficta, & commentitia, ingenij eorum, qui illa litteris consignarūt, quam

de dicendi facultate satis grauem suscepimus, cum ea hanc alteram coniungamus, ut Reip. Rom. antiquam maiestatem cogitatione, atque animo comprehendamus. Quod facere diligenter debemus, contemptis maledictis obtrectatorum, qui cum uel inuidia, vel malevolentia ducti ad omniem laborem nostrum venenatos, & pestiferos morsus adueat, honestis actionibus sunt frangendi, nec tantillum extimescēdi, dummodo nostrum agamus negocium, & mordacibus eorum conatibus uirtutis robore obsistamus. In tanta autē scriptorum multitudine, qui res Romanas litteris consignarunt, quem potissimum deligemus, & ad nostram vtilitatem accommodabimus? plurimi enim Romanam historiam cōscriperunt. Nam, ut omittam eos, quibus nos vetustas rerū omnium confectrix priuauit, ex quibus nonnullorum pulcherrimas reliquias diuersissimis in locis, & quasi obscuris simis in tenebris diutius iacentes in unum redegi, & in lucem, atque hominum aspectum produxi; atq. eos tantum commemorem, qui ad manus nostras peruererūt, quamuis non omnes integri; ex Græcis quidem habemus undecim præcipuos Romanæ historiæ scriptores, Polybitum, Diodorum, Dionysium, Plutarchum, Appianum, Dionem, Herodianum, Zosimum, Procopium, Agathium, Zonaram: ex Latinis uero octo, & viginti, Cæsarem, Suetonium, Liuium, Valerium, Paterculum, Plinium, Cornelium Tacitum, Frontinum, Plinium iuniorem, Suetonium, Florum, Aemylium probum, Instinum, Iulium Capitolinum, Aelium Lampridium, Trebellium Pollionem, Flauium Vopiscum, Aelium Spartium, Volcatium Gallicanum, Eutropium, Sex. Rufum, Amianum Marcellinum, Sex. Aurelium Victorem, Paullum Orosium, Paullum Diaconum, Iornandem, Bedam, Anastasium. Ex quibus neminem profecto anteferrem T. Liui Patuino, ei, qui uere princeps Latinæ historiæ, à lacteo fonte manans, & admirabili orationis grauitate, copia, ac splendore omnibus latinis historicis antecellens, continuam septingentorum quadraginta sex annorum historiam ab urbe cōdita usque ad Augustum conscripsit. Verum, si Liuius longior videatur, quam ut publicis scholis accommodari queat, & aliis diligendus sit, qui quasi breuis quidam Liuius, breui-

breuiter, atque ingeniose, & ad studium Rheticum accommodate vniuersam populi Rom. historiam paucis libris cōprehenderit, quem L. Floro præferam, habeo neminem, qui, quemadmodum Iustinus variam, & multiplicem Trogi Pōpeii historiam in quadraginta quattuor libros diuisam, longe breuiores fecit: sic ipse vere L. Florus, & lux, ac flos historiæ, quas Romanorum res gestas T. Liuius centum, & quadraginta libris complexus fuerat, eas quattuor libris exposuit. Non igitur contentus scriptor clarissimus illis Liuii epitomis, quibus quæ in xiiii. Decadum libris continebantur, summatim sunt explicata, utilibus omnium quidem sententia ad totius Liuianae historiæ intelligentiam, sed multo vtilissimis ad supplementum maximæ illius partis, quæ iniuria temporum periit; hos quoque quattuor libros, quas sumus explicaturi, ad rationem progressionis hominum ætatis cōfecit, quibus omnem historiam Romanam per bella digefit, & ex Liui pulcherrima quæque excerptit, ut qui Liui amat, simul Florum amet, necesse sit. Itaque cum libro secundo artis Rheticæ Aristotelis, cuius contextum Græcum interpretari statuimus, L. Flori quattuor libros de historia Rom. ab urbe condita usque ad tempora Augusti coniunge mus, & merito quidem, quippe qui in historijs suis Liuianū eloquentiæ flumen imitatus non magis historicum, quam oratorem se præbeat; tantum valet ornamentis dicendi, tantum amplificationibus, tantum morata elocutione, tantum illa præstanti, atque illustri oratione, quæ res ponit ante oculos, ut eas uidere, non audire uideamur. Neque uero parum excellit in maximis illis uitiis vita dis, quæ historicos plerosque comaculare, & dedecorare consueuerunt, Adulatione, & Reticentia, cum uel ea dicuntur assentandi caussæ, quæ sunt reticenda, uel ea reticentur, quæ sunt dicenda. Nam, tametsi sære oratorie agit, ex ueritate tamen agit, nec ulla animi perturbatione adducitur ad ea, quæ uera sunt, obscuranda, ita ut semper ueritatem propositam habeat, uni ueritati inserviat, unam tueatur. Quantum autem adulatio in historia sit detestanda, declarauit Alexander Magnus tunc, cum allatum sibi Aristobuli librum de suis rebus gestis assentatore conscriptum in proximum flumen dicitur proiecisse.

Ac

quidquid in me est dignitatis, & ornamenti, id totum uobis acceptum referam, ac uestro concursui, atq. attentioni me plurimum debere confitear, nunquam desistam de vestris commodis cogitare; &, donec vel alterum pedem in souea habuero, omne meum studium, officium, laborem, diligenciam, quantū deniq. ingenio, atq. industria efficere vñquam potero; id totum vobis deferam libenter; ac post mortem etiam, vt extet perpetuum singularis mei erga uos amoris testimonium, lapidi insculpendū mandabo, me, vt vere sum, totum vestrum fuisse; atq. cū ceterorum omnium auditorū meorum laudi, commodisq. studebo, tum dabo in primis operam, ut qui proprijs relictis penatibus ex remotissimis regionibus in hunc optimarum artium quasi mercatum se contulerunt, & ad nos tamquam ad locupletes quosdam virtutis, & doctrinæ mercatores uenerunt, ut laborum, & uigiliorum suarum precio virtutem, & doctrinam à nobis emerent, ijs omnibus præter hunc publicum locum etiam domus mea intima discere cupientibus perpetuo pateat. In historia autem Rom. explananda, vt obtrectatoribus omnem ansam, eripiam maledicentiæ, non magis res gestas narrabo, quam rerum gestarum rationem explicabo, & Flori quidem verba, Liuij vero historiam declarabo, ceterosq. omnes historicos ad vtramq; collustrandam conferam; atq. in libro secundo artis Rhetoricæ interpretando eam sequar facilitatem, & claritatem, vt nemo à meis interpretationibus, tamquam nimium difficilibus, & obscuris absterreatur. Agite igitur, iuuenes studiosissimi, ne semper pueri sitis, historiam adamate; & Romanæ in primis historiæ ueluti ceteris omnibus digniori, utiliori, iucundiori, enixe studete; ac historiarum notitiam cum artis Rhetoricæ cognitione coniungite; hancq. tam præstantem occasionem vrgete, vt me duce, vel socio uestro, cum ante aliâs, tum hoc maxime tempore utilitatum vestrarum studio vehementer incenso, in hac studio incubatis, quibus nulla aut ad laudem illustriora, aut ad ysum uberiora, aut ad delectationē suauiora reperiuntur,

Habita Anno M. D. X C.

Dd Ia

Ac quemadmodum pleraq; eorum, quæ uera sunt, reticeri non debent; ita quædam præteriri possunt, maxime si uel incredibilia esse, uel aliquos plus nimio lădere videantur. Herodotus, quem Cicero nominat historiæ patrem, & principem, qui historiâ ornauerit, cum Babyloniam fertilitatē narraret, perfessus est, se milii, & sesami proceritatem instar arborum, quamuis sibi compertam, ea de caussa non narrare, quod probe sciret, iis, qui nunquam in Babylonia fuisse, quæ de frugiferis dicta sunt, perquam incredibilia visu iri. Idem, cum scriberet, Aegyptios fuisse primos, qui animū humanum immortalem esse dixerint, qui de mortuo corposa subinde in aliud, atque aliud corpus, ut quodq. gignetur, immigraret, atque ubi per omnia se circūtulisset, terre stria, marina, volucria, rursus in aliquod genitum hominis corpus introiret, huncq. circuitum faceret, intra annorum tria millia; addidit, Hanc rationem ex Græcis esse, qui usurpauerint, tamquam suam ipsorum, seq; eorum nomina sciētem scribenda non ducere. Itaque prudentissimus historicus rem notauit, nominibus pepercit. In huiusmodi autem rebus quam recte se gesserit L. Florus, indies ostendemus, vt nec reticenda scriperit, nec scribenda reticuerit, mirāq. moderationem adhibuerit in omni narratione, &, quod clarius omnia intelligerentur, ac memoria comprehendenderentur, ad rationem ætatum humani corporis omnia reuocauerit. Habemus igitur hoc anno dignissimam, utilissimam, iucundissimam materiam non solum oratoriæ in libro secundo artis Rhetoricæ Aristotelis, qui est de moribus, de affectibus, de argumentationibus oratoriis, uerum etiam historiæ in quattuor libris L. Flori de rebus gestis Romanorum, quæ in eloquentia Galliarum, ubi eam ipse dicitur exercuisse, principem appellauit Quintilianus. Quam materiam uobis pollicor me ita pertractaturum, ut nec laborem, nec dilectionem in me ullam desideretis. Ecque enim caussa est, cur nō perpetuo pro uestra utilitate laborem, cum abhinc tot annos, quibus publicum in hoc clarissimo Gymnasio explicandi onus sustineo, semper à uobis ornatus fuerim, & à uestro fonte ad nonnullam hominum famam profluxerim? Quam obrem ex uestro arbitrio pendeo, semperq. pendebo; cūq. quid-

iuste vniuersa hæc ciuitas signa dat quæ plurima magnæ ati  
morum perturbationis; iuste omnia sunt acerba, omnia mi  
sera, omnia luctuosa, unde hæc ipsa Officia merito Iusta nū  
cupantur; sed eò iustior haberi debet dolor meus, quod nul  
lam satis iustum afferre excusationem quiuerim, quod minus  
molestia, atq. ægritudine animi confessus propter iacturā,  
quæ facta est, amici, uicini, & patroni mei amantissimi onus  
fusiciperem uos omnes publice consolandi, qui maxime om  
nium consolatione indigeo. Verum tamen, qui excusari nō  
potui ab hoc munere obeundo, & officio exequendo, culpa  
profecto liberabor, si minus copiose eum collaudare uisus  
fuero, qui omnem superat laudis excellentiam, minusq. ido  
nee ob animum valde conturbatum honestissimas viri peril  
lustris actiones vobis ante oculos proposuero, ut in commu  
ni omnium luctu eam iucunditatem, & consolationem ca  
piamus, quæ percipi quodammodo solet ex amicorum re  
cordatione, ex eorum, quæ ipsi egerint, commemoratione,  
ex amabili quadam, quales illi fuerint, expressione. Vnde aut  
incipiam, aut quid potissimum in tanta rerum multitudine  
dicam? Immo uero, cum plurima, & maxima sint, sane egre  
gia, & præclara, quæ dici nunc possunt, quid potissimum non  
dicam, ut temporis breuitati mihi ad dicendum dati mea  
congrueret oratio uideatur? Silebo ne immortalia decora, &  
dignitatis insignia utriusq., quam Bonifacius Rogerius ha  
buit, patriæ nobilissimæ; quarum quidem altera fuit Regiū  
Lepidi vrbs celebris, à M. Lepido instaurata, unde is uetu  
stam originem traxit: altera uero Patauim, cuius clarissi  
mæ ciuitatis iure perillustris Rogeria Domus quam dignis  
sima uisa est? Ac Regium quidem Lepidi cum multis alijs  
rebus fuit ornatissimum, tum enituit maxime S. Maximo ci  
ue, & Antistite suo, cuius sanctum corpus Venetias translata  
sum esse dicitur: & S. Prospero, Theologo summo, cuius  
scripta uisa sunt insignia ad laudem sempiternam: alijsq. ce  
lebratissimis uiris; ut Bonfrancisco Arloto, Legum, Philoso  
phiæ, Theologiæ, Doctore eloquentissimo, Consiliario Se  
renissimorum Ferrariae Ducum, Borsij, & Herculis I. eorun  
demq. Romæ Legato ordinario, ac tandem post plurima, &  
maxima innocentia, atq. integratatis egregie data documen



## In Obitu

# BONIFACII ROGERII I. C.

Equitis, & Comitis.

ANTONII RICCOBONI

## Oratio



X TINCTO nobili, & præstanti lu  
mine huius nobilissimæ, & præstan  
tissimæ ciuitatis, Friderice Sanute,  
Præfecte Illustrissime, Auditores mœ  
stissimi, iustus quidem est omnium  
squallor, mœror, gemitus, lachrymæ,  
& singultus; iusta necessiariorum que  
rimoniæ; iusta hæc mœstitia, hæc acer  
bitas, hæc publici mali facies; cum ciues Patauini suum, vt  
appellant, ad vtilia. Deputatum sibi præreptum esse, dolēt,  
& conqueruntur; cum Gymnasium Patauinum suam mis  
eriam deflet, & lamentatur, quod Doctorem præcellentissi  
mum, omnium officiosissimum, studiosorum iuuenum tam  
quam parentem amantissimum amiserit; cum huius aug  
ustissimi templi habitus publicum detrimentum ex morte ac  
ceptum præclarissimi Doctoris, Equitis, & Comitis indicat;  
iuste

ta Episcopo Regiens; ut multis alijs clatissimis Iurisconsultis; Accursio , qui floruit paullo post superiorē Accursum, auctorem glossatum iuris ciuilis ; Vido Baisio Bononiae Archidiacono, ibidemq. interprete iuris Pontificij ; Vido Sozario, subtilissimo iuris ciuilis explicatore ; Philippo Cassolo collega Baldi, ius ciuile professo Patauij, Ticini, & Placentiæ , cum Ticini gymnasium Placentiam translatū esset; Carolo Ruino, cuius fama propter suos in leges comētarios celeberrima est; Iacobo Colubino, q. præclara glossemata scripsit in librū, vt appellat̄ feudorū; alijq. nō paucis: vt ēt Sebastiano Corrado, uiro litterarū Græcarū, & Latina rū peritisimo, ac nostri ordinis clarissimo: cumq. sine dubio plurimis omni uirtutum genere præstantibus, & rei litterariæ, ac militaris laude florentibus fuerit semper Regium affluentissimum; dici tamen non potest, quantum ornamen tum acceperit ex duobus ciuibus suis, grauisimis Iurisconsultis eodem tempore in hoc celeberrimo Gymnasio cum maxima nominis sui prædicatione ius ciuile profitentibus, non solum eo ; cuius funus nunc celebramus, uerum etiam eo , qui nunquam satis laudari potest, Vido Pancirolo , I. C. optimo , & maximo , Iurisconsultorum nostri temporis Principe eminentissimo . Patauij vero laudes tot litterarum monumentis, tam multis historiis, tot carminibus, tam multis & aliorum, & meis ipsius orationib⁹ sunt collustratae, ut nihil magis sit sermone omnium contritum, nihil magis decantatum, nihil magis peruulgatum, quām singularem esse huius urbis, quasi theatri cuiusdam in omnes terras longe, lateq. resonantis amplitudinē ; nihilq. illustrius, aut ad famam honestius eius. celeberrimis Collegijs, eius florentissimo Gymnasio, omninoq. hoc excellenti, ac plane ditino Genio Patauino , quem omnes gentes, & nationes semper excoluerunt . An uero mihi silentio prætereunda est Rogeriæ Domus nobilitas, & claritas admirabilis? quæ quidem adhuc Regij floret inter illustiores, & Patauij iampridem in maximo honore habita est; usque adeo, ut uel repugnantibus Collegij Iurisconsultorum legibus, atq. institutis propter talis familiae dignitatem, atque auctoritatem vnu de Rogerijs nothus, & quidem nouo exē

plo,

107  
plo, in ipsum Collegium fuerit cooptatus, quod nemini unquam alii dicitur contigisse: eiusdemq. Domus beneficentia, ac liberalitati cum magna Rogerij nominis celebritate accepta referatur publicæ scholæ commoditas, ad institutā Patauinā iuuētutē institutæ, & Collegio Iurisconsultorū commendata, annuis prouentibus quadrigentorū fere aureorum ad eam in perpetuum conseruandā liberalissime constitutis. In qua nobilissima familia floruit Vidus Vbaldus ita charus Serenissimis Vrbini Ducibus, ut pro virtutis præmio in illo Ducatu Petroiæ oppidi iurisdictionem, & Comitatum sit consecutus: floruit is, cuius nomen, & virtutes præ se ferrebat noster Bonifacius Rogerius, Legum Doctor eximus, Serenissimi Ferrariae Duci Herculis II. Romæ ordinarius Legatus, eiusdem à secretis, & consiliarius supremus, itidēq. Serenissimi Ferrariae Duci Alphonsi II. à quo Cannusii oppidi celeberrimi, à Comitissa Mathilda conditi iurisdictione, & Comitatu donatus est: floruit Lælius, nouissimus Cannusii Comes, in Gallia eiusdem Alphonsi II. Legatus ordinarius: floruerunt alii, tam multi, & tam præstantes, vt omnem superare dinumerationem, atque amplificationem videantur, de quibus longa historia non breuis oratio efficeret conficienda. Inter ceteros autem non est prætermittendus Fridericus Bonifacii pater, qui ob insignem iuris Cælarei, & Pontificii cognitionem Patauii inter summos legum interpres permultos annos de Rep. litteraria optime meritus est, atque adeo à summo Imperatore Carolo V. dignus habitus est, qui Equestris ordinis dignitate ornaretur. Nec omittendus Ludouicus Bonifacii frater, qui militia disciplinam percepit sub Cornelio Zobolo auunculo suo præstansissimo, Præfecto equitibus cataphractis pro Rege Galliæ Henrico II. in omnibus bellis Italiae : egregiamq. operam nauavit in bello Senensi, sāpe in locum Zoboli adhibitus ad exercitum gubernandum: cumq. ab ipso Alphonso II. in omnibus eius vrbibus leuis armaturæ Equitatus institutus esset, & ageretur de præficiendo Regii aliquo uiro strenuissimo talium equitum alæ, ipse communi totius ciuitatis consensu ad huiusmodi munus obeundum electus est, & à Serenissimo Duce, qui eius præstantiam perspectam, cognitāq. habe-

habebat, statim confirmatus : cumq. in gratiam summi P̄tificis, Gregorii XIII. Ferrarienses copiae missæ esent, quæ quidem exules, omni immanitate efferatos, nefarios, conseleratos ad totam perturbandam Italianam collectos insectarentur, atque delerent, in ea expeditione fortissime se gesit, tantumq. profecisse existimatus est, ut apud Serenissimū Principem suum egregie fuerit laudatus . Hoc tanto generis splendore ortus Bonifacius Rogerius cum paternarum uirtutum facem sibi prælacentem haberet, sibiq. insistendum esse intelligeret paternis uestigiis signatis ad gloriam sempiternam, animum appulit ad studium eius præclarissimæ disciplinæ, quam summus philosophorum Aristoteles potentissimam, & maxime architectonicam, maximeq. principem appellavit; quippe quæ ceteris omnibus disciplinis imperet, ceteras regat, & in officio contineat, ceteris modum præscribat, ceterarumq. artifices legibus suis uel sibi obtemperantes honestissimis præmiis afficiat, uel plus licentia sumentes, quam par est, etiam de Rebus publicis expellat, ut expulso esse quandoque tum poetas illos, qui neruos uirtutis eliderent, tum Rhetoras, qui prauos mores souerent, immo uero etiam ipsos Philosophos, ipsos Medicos, uetera monimenta testantur. Accedit, quod eodem Philosopho teste, ciuili scientiæ illæ facultates, quæ inter ceteras maximo sunt in honore, videntur subiacere, ut Militaris, ut Oeconomica, ut Rhetorica. Cumq. hæc ipsa reliquis utatur scientiis, quæ in agendo versantur, & præterea describat, quid agendum, & à quibus abstinentum sit, huins finis aliarum cominet fines, nempe humanum bontum. Itaque sine dubio præstantissima est, præstantissimum, & ultimum omnium continens finem. Præterquam quod ipsum bonum communius, & hoc modo maius pertractat. Etenim, inquit Philosophus, res quidem amanda est, quod & uni, & soli bonum est: sed pulchrius, & diuinius, quod genti, & ciuitati. Neque uero est, cur dicatur, has ipsas laudes magis Politicæ Philosophiæ, quam legum disciplinæ conuenire, cum ipsa Civilis Philosophia non nisi per leges imperet, & in ipsis legibus positam esse ciuitatis, & Reip. salutem, idem philosophus testetur . Fremant omnes licet, inquit grauiissimus auctor, M. Tullius:

biblio-

bibliotecas omnium philosophorum unus videtur duodecim tabularum libellus, si quis legum fontes, & capita videbit, & auctoritatis pondere, & utilitatis vertute superare. Merito igitur Iurisprudentiam poetæ nobiles Ennius, & Horatius, sapientiam nuucuparunt. Merito eandem Iurisprudentiam Vlpianus, sapientissimus I.C. veram Philosophiam, non simulatam nominauit. Merito Bonifacius Rogerius, cu[m] animaduertisset Iurisconsultos in omnibus bene institutis ciuitatibus honestissime dominari, in maximis dignitatibus maxime florere, in publicis administrationibus plurimum posse, ita ut eis quodammodo parere Duces, obedire Reges, obtemperare Imperatores, assentiri Principes omnes, ueluti Ducibus, Ducum, Regibus, Regum, Imperatoribus Imperatorum, Principibus, Principum uideantur; omnem animi, & corporis contentionem ad tam præstantem, tamque excellentem disciplinam contulit perdiscendam, ac in huiusmodi studio, breui temporis spatio tam admirabilem cursum, atq. progressionem fecit ad excellentiam, tantumque profecisse existimatus est, ut facilissimum ei fuerit tum subtilissimas de utroque iure quæstiones publice disputandas proponere, & propositas summa cum laude disputare: tum datis alijs sapientiæ suæ documentis, sane egregijs, & præclaris, anno Christi sexagesimo primo supra millesimum, & quingentesimum, Doctoris insignia consequi, & in Collegium Iurisconsultorum cooptari: tum proximo sequenti anno ad Ius ciuile publice interpretandum publico decreto adhiberi .. Quod ipsum munus per triginta totos annos quam dignissime obiuit multis modis honoratus, & in primis præmio florenorum septingentorum, ad utilitatem studiorum fructuofissime concurrens cum præclarissimis Iurisconsultis, atque inter ceteros, cum Ioanne Cephalo, Iurisconsultorum sui temporis, ut ita dicam, capite, & coryphæ, cum Francisco Mantica Utinensi, Doctore celeberrimo, nunc perillustri, & religiosissimo, ut uocant, Romanæ Rotæ Auditore, & abhinc multos annos cum præcellentissimo, ac maxime uenerando sene Vido Pancirolo, cuius suo, per totum terrarum orbem celebratissimo, & propter egregios mores summopere omnibus colendo. Tacso, quam beni-

stæ Taurinorum , & mandato Sérenissimi Sabaudæ Ducis aliquem perquireret clarissimum I. C. qui in Gymnasio ilius ciuitatis in locum succederet celeberrimi Panciroli in Gymnasium Patauinum acciti, cum ceteris, quibus idem negotium datum fuerat, inter multos , qui proponebantur, Doctores egregios, statuit ad eam successionem ipsum Bonifacium Rogerium inuitare, litterisq. de hoc datis honestissimum ei præmium proposuit scutatorum septingentorū. quod præclarissimum munus quò minus ipse susciperet, se excusauit, ne Serenissimo Venetiarum Principi, atq. illustrissimo Senatui, cui se esse prorsus deditum, addictum, obstrictum profitebatur, minus gratus, minusq. beneficiorum, atque ornamentorum memor videretur. Charissimus quoq; fuit plurimis Patriitijs, & Senatoribus Venetis, quos longum esset enumerare, atque inter ceteros Illustrissimis huius ciuitatis præsidibus, Io. Baptista Veturio Prætori, & Friderico Sanuto Præfecto, viris ad Reipub. commodum, dignitatemq. tuendam, atque augendam natis, & diuinitus datis, qui eum omni benevolentia complectebantur, eius honestissima consuetudine oblectabantur, eum dignum censebant, cui omnes afflanti morum suavitates omnes Principes viri omnia vela panderent, omnesq; facies accenderent amoris sui. O uirum gratiosissimum omnium vocibus, ac litteris celebrandum. O Bonifacium & nomine, & re ipsa Bonifacium, omnibus, quantum poteras, beneficentem, & in humanum genus perquām beneficium: Rogerium uere Rogerium, omnes quodammodo rogantem, ut Rogerij promptissima opera libere vterentur: & ob tantam ad beneficiendum propensionem omni honore dignum; cū omnis honor à beneficentia, & benefica uoluntate proficiatur, atq. honorentur, vt tradit Philosophus, duo genera hominum, tum qui benefecerunt, tum qui benefacere possunt. Plurimis enim benefecit Bonifacius Rogerius, magis rogans, quām rogatus, & suapte sponte ad beneficiendum paratus, non solum publicis explicationibus suis, quæ semper subtilissimæ, ac doctissimæ habitæ sunt; sed etiam consilijs, & consiliorum conscriptione, quorum duo satis

Ee ma-

benignum, quām humanum, quām officiosum, quām dili- gentem, quam assiduum se præberet in iuuenibus studiosis non solum publica, sed etiam priuata opera insigniter adiu- uandis, ut eius domus etiam intima omnibus discere cu- pientibus perpetuo pateret, neque illi inde ullo unquam aut suo tēpore excluderentur, aut incōmodo, negotiique pro hiberentur: quām præstantem, & quām excellentem se ostendet in eorumdem negotijs, cum opus erat, pertractandis, in discordijs sedandis, in pace compoienda, in salute, & commodo procurando apud illustrissimum, & religiosissimum Episcopum, apud illustrissimos Præsides, Prætorem, & Præfectum, apud illustrissimos Gymnasi Patauini Mode ratores, immo uero etiam apud Serenissimum Principem, apud Illustrissimum Senatum, omninoq. apud omnes, ubi cumque oporteret: quām facilis, & promptus esset in omni suo studio, labore, officio, diligentia, quidquid denique in genio, industria, consilio, auctoritate, opibus posset, ad stu diosæ iuuentutis utilitatem, & uoluntatem conferendo; ut eo ipso in hac ciuitate, & in hoc Gymnasio benignior, officiosior, diligentior ab urbe condita usque ad hæc tempora communi omnium iudicio iuuentus esse nemo uideatur. Multa alia prætereo consulto, quia temporis angustiis pre mor, ut quām multi uoluerint à grauisima eius manu. Do cotoris insignia accipere, qui fuerunt prope innumerabiles: quām digne publica huius ciuitatis munera obiuerit, & præcipua iudicia exercuerit: quām honeste non solum Docto ris, sed et Equitis, & Comitis personam sustinuerit, & dignitatē præ se tulerit. Obquæ oīa, & alia, tam multa, atq. innu mera, ut non facile uerbis exprimi queant, dici profecto nō potest, quām charus fuerit multis Principibus, & S.R.E. Car dinalibus, in primisq. Nicolao Sfrondato, nunc Gregorio XIII. Pontifici Max. qui non solum, cum esset Cremonæ Episcopus, eum Patauji non semel inuisit tamquām sibi amicissimum, uerum etiam in ipso Cardinalatu, atque adeo in ipso Pontificatu se eum ualde diligere demonstrauit: simili terq. Hieronymo Ruuereo, Scipioni Gonzagæ, Franc. Mariaæ ex Marchionibus Montis S. Mariæ, amplissimis Cardina libus; ex quibus Ruuereus, cum esset Archiepiscopus Augu

stæ Tau-


tauij non inficiar, prorsus pios, frugi, & moribus integer-  
rimis præditos. Ac animos quidem in multas, magnasque  
difficultates sæpenumero trahunt Philosophi illi, qui suam  
ipsorum Philosophiam ad præscriptum Theologiae mini-  
me dirigentes, sed de animorum immortalitate, de religio-  
ne, de ipsomet Deo ambigentes prauis opinionibus homi-  
num mentes inficiunt. Corpora vero Medici iussis suis  
maxime imperiosis constringunt, miserosque ægrotos non  
solum miseris modis angunt, excruciant, torquent, uerum  
etiam sæpe sua ipsorum inficitia dissoluunt, destruhunt, ne-  
cant; de quibus nota est illa uox Adriani Imperatoris, cum  
moriens clamauit, Turba Medicorum Principem interfecit.  
Externa autem bona, dici non potest, quantopere non ra-  
ro diuexentur tumultuosis illorum Iurisconsultorum con-  
tentionibus, qui lites, altercationes, iurgia souent; & men-  
dacia, fraudes, scelera nutriunt; nihilque respiciunt magis,  
quam quomodo à miseris hominibus, qui se, suasque  
fortunas, & bona eorum fidei, ac clientelæ commiserint,  
pecuniam extorqueant, suaque expleant insatiabilem  
accumulandarum opum auiditatem. O miseriam ingen-  
tem omnibus deflendam. O uitam calamitosam, tot ho-  
minum insidijs, tot laqueis propositam. Taceo alia in-  
numerabilia huius vitæ mala, o dia, discordias, inimicitias,  
infectiones, alia sexcenta, alia mille, immo ad innume-  
rabilitatem progredientia, à quibus abstractus Bonifacius  
Rogerius, id est, non hoc corpus, quod terrenum terræ  
debebatur, sed huius corporis animus, qui cœlestis cœlum  
appetebat, ex his terrenis uinculis, & corporis compagi-  
bus, quemadmodum nobis persuasissimum esse debet, in  
cœlum penetrauit. Quamobrem, mœstissimi Audit. no-  
bis dolendi finis est faciendus: in diuina uoluntate con-  
quiescendum: nobilissima eius uxor Doralicia Vrsata cum  
duabus filiabus, Andriana, & Lucia, & filio Iacobo, ce-  
terique nobilissimi propinqui, & affines, maximo dolo-  
re, eodemque iustissimo confecti, atque inter ceteros no-  
bilissimi eius leuiri, Annibal, & Franciscus, Vrsati, qui  
absente Ludouico Rogerio ipsius fratre, quod pijssum

Ee 2 potue-

magna uolumina nunc typis imprimuntur, ac propediem  
in lucem, & aspectum hominum proferentur: non solum  
iustissimis sententijs suis, in publicis iudicij ex exercendis, ue-  
rum etiam præstanti opera in gerenda publicæ personæ di-  
gnitate, dum esset, ut appellant, ad utilia. Ciuitatis Deputa-  
tus: non solum publice & verbis, & rebus; sed etiam priua-  
tim magna in pauperes liberalitate, quo rum plurimos do-  
mum ipsius quotidie confluentes, atque confugientes, quo  
tidiana, & satis copiosa eleemosyna sustentabat. O uirum  
beneficentissimum, omniq. honore quādignissimum; me  
rito declaratum verum Nobilem cum omnibus posteris  
suis, & Militem, atque Equitem auratum, sacrique Latera-  
nensis Palati, aulaq; Cæsareæ, & Imperialis Consistorij  
Comitem à Maximiliano II. maximo Imperatore anno mil-  
lesimo quingentesimo sexagesimo nono, & in ea dema digni-  
tate confirmatum, amplissimisq. Priuilegijs auctum à Ru-  
dolpho II. summo itidem Imperatore, anno millesimo  
quingentesimo octogesimo tertio, tradita ei maxima, & am-  
plissima facultate eorum omnium efficiendorum, quæ à  
summis Equitibus, & Comitibus præstari consueuerunt.  
Iam uero in hac ipfa tanti viri iactura, mœstissimi Audieam  
profecto capere consolationem debemus, quod ipse ita natu-  
sus sit, ita uixerit, ita mortuus sit, vt ex huius uitæ miserijs,  
& calamitatibus ad cœlestem, & sempiternam beatitudinem  
peruolasfe videatur. Hæc enim, quam uocamus vitam, po-  
tius mors est. Illa uero, quæ dicitur mors, animis pijs ue-  
ram uitam affert, liberans tot turbibus, tot procœlis, tot  
perturbationibus, quibus tamquam aduersissimis uentis,  
& saeuissimis fluctibus agitamur. Etenim, ut alia quāplu-  
rima, & maxima huius uitæ mala silentio inuoluam, & unum  
tantummodo dicam, tria bonorum genera in hominibus  
spectantur, animi, corporis, & externa, quibus tria homi-  
num genera maxime infensa, atq. inimica sunt, Philosophi,  
Medici, Iurisconsulti; non boni, sed mali Philosophi, non  
boni, sed mali Medici, non boni, sed mali Iurisconsulti,  
& à bonis moribus alieni, ne quis me bonos, & bonorum  
existimationem lădere arbitretur; quales esse plerosque Pa-  
tauij

potuerunt, officium præstiterunt in honorando marito se-  
roris suæ, & hoc funere faciendo, ac Iustis persoluendis,  
mihique mandando, ut eum, quantum possem, exor-  
narem, sunt amantissime consolandi: omnino-  
que perpetua memoria retinendum, nos  
esse homines, id est, innume-  
ris miserijs subiectos,  
& mortales.

Habita Patauij, in Templo Di. Antonij. iij Kal.  
Augusti. M. D. XCI.



\* F I N I S. \*



ERRATA

pag. 14.b.indicium	indicium
15.b.humanitatis	humanitatis
18.b.dottitissimo	dottissimo
19.a.princeps	principes
20.a.adscribueret	adscriberet
22.a.brachijs	brachij
26.b.clarisimis	clarissimi
	illustissimo
33.b.iuuentio	iuentio
45.a.ptobatus	probatus
48.a.siliant	fileant
57.a.statuit	statuet
	flebilter
b.singulari	singulari
60.b.snnmo.	summo
pro numero 62. notatus est numerus 57.	
Deest numerus 64.	
65.b.ij/demq.	idemq.
77.b.eam ad diuinum	eum
78.a.iu	in
90.a.mane	mare
	Phauerino
pro numero 94. notatus est numerus 64.	Phauorino
98. a.alia.	alta
102.b.quadragintefimo	quadringenteſimo
104.a.libros quas	libros quos
	Ecque
105.a.intetpretationibus	interpretationibus

CORRECTA.

Patauii, Apud Laurentium

Pasquatum.

*Typographum Almae Uniuersitatis  
Iuristarum.*



*Anno à Nativitate CH RISTI*

M. D. LXXXI.